
MATTHAEI GRIBALDI IVRIS-CON. CHAERIANI IN INCLITO PATAVINO GYMNASIO IVRA CIVILA EX ORDINE PROFITENTIS IN PERDIFICILEM. §. QVOD VVLGO AD .L. FALCID.



VTILISSIMAE INTERPRETATIONES QVIBVS *uniuersa contributionum materia cum singulis fere legibus totius tituli plenißime explicatur nunc primum in lucem datæ ac diligenter excußæ.*







PATAVII
Iacobus Fabrianus Excudebat
M D XLIX.



ILLVSTRIBVS VIRIS DOCTORIBVSQVE CONSUMMATISSIMIS Nicolao Thieupolo, Laurentio Priolo, Hyeronimo Pollano, Sebastiano foscareno, Marco Antonio Venerio, & Nicolao a Ponte, patricijs Venetis inclitiq; Gymnasii Patauini moderatoribus Laudatißimis, Matthæus Gribaldus iure cõsultus Chærianus Salutem perpetuamq; fœlicitatem op.

CVM in hoc uestro (patres sapiẽtißimi) Patauino solo longe omnium uberrimo, Sementẽ toto hoc sesquiano satis (ut mihi uidebatur) copiosam propagaßem, ne concreditũ mihi talẽtũ perpetuo sepultũ habere, aut agricolationis meæ rõnẽ cõtumaciter detrectare uiderer, mecũ prope statueram, quæcũq; hic in frequẽti nobiliũ ac perspicaciũ auditorũ corona, tũ docẽdo tũ disputãdo publice profeßus eßẽ, in cõmunẽ gratiã sub uestro digniß. noĩe promulgare, scio enim quãtũ uobis debeã quantũq; de uestra in me beneuolẽtia mihi persuadere ualeã, uerũ enimuero cũ hoc primo tẽpore qđ uix cognoscẽdæ urbi, rebusq; familiaribus cõponẽdis satis eẽ cõsueuit, nihil omnino ocij ad isthec peragenda mihi relictũ

uiderem, aliã rõnem plane suscepi, satisq; in præsentiarũ esse putaui, si solam reliquorũ nomẽ clatură uobis tantisper edidißem, Nempe domesticũ actorem minime ociosum imitatus, qui dũ alijs urgetur negotijs aliquãdo reposcẽti dño, exacta ex pensaue, nõ discußo adunguẽ calculo sed summatim collecto subindicat. Mihi igitur hoc uestrum Antenoreũ uere regiũ ac totius Europæ (sine cõtrouersia) Nobilißimũ Gymnasiũ ingresso ex Iurecõsultis Vlpianus primus occurrit, cuius difficilimo proprietatis et possesionis tractatu ex ordine absoluto, disertißimi Pauli uestri postliminium omnino discerptũ et cõscisum ad integrũ sẽsum nitorẽq; restitui: subinde primi et scđi decreti eiusdẽ Vlpiani articulis explicatis, Siccariorũ materiã plus satis frequẽtẽ ĩ diui Cõstãtini respõso extraordinẽ enodaui· Cõsequẽtibus uero auspicijs titulũ et epitomẽ lib. pri. legatorũ, Deinde legata gñaliter relicta Vlpiãi, uetitas Mætiani alienationes, Pauli cõiũctiones & acceßiões, falcidias itẽ Mætiani, necnõ cõiecturas fideicõmissarias acutissimi Papiniani cõsueto stylo peregi, Atq; isthec ferè omnia pleriq; auditorũ medictãte in scripta retulerũt, Nouißimæ eiusdẽ Papiniãi horribiles (ut aiũt) cõtributiões aggreßus, durã sãe prouinciã, quã maiores nři cõtractis uelis taciti deuitarũt, cũ iã Alta molorchei lustraret tecta Leõis, Cinthius, et rapidũ spirãs mortalibus ignẽ, Cõsuetũ, prohiberet opus, studiũq; docẽdi Demeret, et delicati

iuuenes

iuuenes uiuæ uocis energiā instāte Syrio diutius ferre nō possēt, ne oleū et operā pænitus amisisse uiderer, hanc nostrā in Papinianū paraphrasim, omnibus (ut sperare licet) utilissimā, sub fœlici aura uestra emittere nō dubitaui, atq; ita (ut sepe usu euenire solet et in adagio ē) facta sūt nouiss. prima, Verū quoniā multis legū studiosis interpellātibus, ut Pauli male cōsutā de usucapiōibus legē in integrū restitutā publicarē (presertim qđ plerisq; oēs parū emēdate suis eā scriptis excepissēt) operā meā differre nō potui, nō ab re uisū ē illam uelut appēdicē quādā principali instituto cōiūgere, ut hæc paucula (æquissimi patres) uigiliarū nostrarū fragmēta, primitiarū loco uobis oblata, æquo animo suscipiatis: nō ignoro equidē pmultos hoc meū studiū uellicaturos, sinistrūq; de me iudiciū aliqua in pte facturos, atqui omnia cōtemnere susq; deq; habere statui, quin ēt ita obloquētibus obsurdescere, ut mea tādē patiētia uicti, mitiores eē cogātur, Vobis aūt (Mœcēates optimi) si hæc quatulacūq; nostra munuscula nō iniucūda fuisse cognouero, Surget animus ad maiora Nō utiq; ex siluis siluas (ut à plerisq; fieri solet ēt cū spectatorū fastidio) cōgerēdi, Sed ea potius ex pmēdi quæ (aliterq̄ uulgus receperit explicata) et doctis uoluptatē et mediocribus utilitatē sint allatura. Valete perpetuo fœlices, & Gribaldi uestri animum suscipite. ex Vrbe uestra Patauio. Decimo Kalē. sextilles. M D X L I X.

IOAN. ANT. MVS
SI SICVLI NOVOCASTREN-
sis V.I. Doc. & simul artiū et medicinæ ad le
gumstudiosam iuuentute in laudem operis
Matthæi Gribaldi cheriani doctissimi
& simul eloquentissimi Iuriscon. Pa
tauij publice profitentis.

OCTASTICHON.

Perge age quid cessas legum studiosa
iuuentus.
En tibi Gribald⁹ Nobile fœcit op⁹.
Perge quid excusas? redeunt bona tē
pora nobis
Nō ēq̄d dicas Barbara uerba legā
Nec tu doctorū salebrosa uolumina
adibis
Sz distīcta nimis multa et apta leges
Exculta ē tādē legū Syncera uenustas
Gribaldi, īgenio undice & eloquio.

IO STEPHANI cocti Casalensis legum auditoris in Excellentissimi Gribaldi Paraphrasim.

Regula falcidiæ licet olim prodita uulgo
Intellecta tamen non satis illa fuit
At nunc facundi scriptis lustrata Gribaldi
Enitet, & cunctis enucleata patet.
Ergo agite oiuuenes ijs uos præcingite, ut inde
Discere possitis quod latuit reliquos.
Et præceptori linguisq; animisq; fauete,
Qui uere & certa uos ratione docet.

MATTHÆI GRIBALDI IVRISCONSVLTI CHERIANI IN .§. QVOD VVLGO AD.L.FALCID. INTERPRETATIONES.

PAPINIANVS.



VOD vulgo dici- »
tur ī tabulis patris & »
filii vnam falcidiã ſer »
uari, quam poteſtatē »
habeat vidēdum eſt: »
Quamuis enī ſubſtitutus quę a pu- »
pillo relicta ſunt, cũ filius hęres exti »
terit, vt æs alienũ quodlibet debeat, »
tamē propter ea quæ ſecundis tabu »
lis data ſunt cõtributioni locus eſt: »
ſecũdum qđ euenire poteſt ne ſub- »
ſtitutus quicquam retineat, velut lõ »
ge plus habeat quarta paternæ hę- »
reditatis. Quid ergo ſi non ſufficiat »
pupilli hęreditas cum patris ſuffe- »

" cisset? De suo quadrante nimirũ da
" bit substitutus quæ pater legauit de
" suo: Nec ad rẽ pertinet quod ex nul
" lo testamẽto prętatur vltra vires pa
" trimõii. Cũ i hac pte iuris legata q̃ se
" cũdis tabulis reliquũt quasi i primis
" sub conditione relicta itelligantur.

PRæmittendum ẽ ad euidẽtiã in hoc acutissimi papiniani respõso, de contributione legatorum tractari, que a pupillo instituto et eius substituto in secundis tabulis relinquuntur, necnõ de cõfusiõe hæreditatis paternæ, cum pupillari respectu ipsius substituti, ut etiã Bartolo et Angelo uidetur, tametsi Paulus castrensis diuersum sentiat, scilicet nusq̃ hic de bonorum seu hæreditatum confusione tractari, & male ut infra ostendam, haud tamen eo modo quo Bartol. & Angel

Cõtra pa ul castrẽ.

Angel. existimarunt considerantes hereditatem quandã pupilli militis castrensi iure quæsitam, nec unq̃ a patre profectam, quod q̃tum a papiniani mente recedat suo loco patebit. Contra Bart. & Angel.

D*E contributione igitur legatorum loqui iurisconsultum facile constat ex ijs uerbis* Contributioni ,,
locus est. *de confusione quoq; portionum quæ etiam hæreditates appellantur eundẽ loqui satis ostendunt illa uerba* Velut longe plus habeat quarta paternæ hæreditatis. *quibus plane deciditur substitutum legata in secũdis tabulis relicta nomine ꝓprio præstare debere, habita ratione nõ pupillaris duntaxat portionis, seu hæreditatis sed paternæ, in qua idem cohercs datus est, ut in simili specie uoluit Iulianus, in. l. qui fundum. §. qui filiũ uer*

sic.

sic. Nam confusi duo semisses, *infra eo. Cæterum portionem paternæ hæreditatis filio impuberi in primis tabulis relictam et ab eodem agnitã, pupillarem hæreditatem nũcupari ex iureconsultis sæpe dicimus, ut hic & in. l. sed si plures .§. filio &. l. si filius qui patri de quo tex. latissime infra dicemus de uulg. l. pater filiam. §. duobus et. l. si is qui quadringẽta ĩfra eo. quod & Immola sæpius hic ad notauit Nam iure isto nihil facile ad pupillum pertinebat nisi quod a patre ꝓficisceretur, propter regu. l. placet de acqu. hæredi. nec pater filium uel eius substitutum facile poterat onerare nisi in portionibus a se relictis. l. Cohæredi. §. cum filie de uulga. l. qui fundũ §. qui filios infra eo. & fusius infra dicetur, proĩde omnes leges de oneribus*

et falcidia

et falcidia in pupillari hæreditate tractantes de ea proculdubio loquuntur, quæ in totum uel in partem ex testamento paterno ei relicta est, iuribus, præ a legatis. At uero ne uocum significatio pœnitus ignoretur, contributio fieri dicitur, uel cum legata ab instituto & eius substituto in eadē portione relinquuntur, ut hic & in. §. sequen. ibi Et contributio legatorum *&. l. in* »
duplicibus ibi In unū cōtribuuntur. »
infra eo. &. l. 1. in princ. infra ti. 1. ibi Contributis. s. legatis. *uel cum ab eo=* »
dem in diuersis portionibus relinquūtur, ueluti a cohærede eodēq; substituto ut infra ea. l. §. quæsitū &. l. qui fundum. §. fi. infra eo. est autem contributio quædam rerum permistio seu communio ut in. d. §. quæsitum ibi Permisceri ceteris non opportere. *Ali=* »
quando

quando cõtributio pro compensatione uel computatione seu reputatione accipitur.l.i.de compensatio.l. qui insulam §.aedilis & .l.nos uideamus, & .l. si uno in princ.& .l. si merces.§.si uicino.ff.loca. quãdoq; exequationem seu collectionem significat, ut to. ti. ad.l. rhodi.de Iac.Sicut etiam tributum et tributio pro distributione accipi solet, l.i.et.l.v.§. tributio et per to. de tributo actio.Confusio uero proprie ad portiones pertinet hinc dicimus legata contribui & partes siue haeredita tes confundi,ut in.§.seq. Propter calculi confusionem. *& .l.i. §.si cohaeredis ibi* Confundendas esse partes. *supra eo.& .d.l.qui fundum. §. qui filium ibi* Nam confusi duo semisses. *& .l. pater filiam.§.duobus ibi* Portio non confundetur. *infra eo. ali-*

quando

quando tamen etiam legata confundi & partes misceri dicuntur.d.§.quæsitum ibi Legatorum confundi rationem. *&.d.l.qui fundū.§. de lege ibi* Misceri duas partes. *infra eo.*

SEcundo præmitto quod quis regulariter in singulis testamentis singulisq; hereditatibus ratio legis falcidiæ separatim imponatur.l.in singulis infra eo.l. si filius qui patri ī fi.de uulga.§.& cum quæsitum ī fi.insti.ad l.falcid.

Attamē in testamēto patris, & filij una tantum falcidia seruatur, ut hic in princ.et.l.in duplicibus īfra eo. quoniam unum & idem testamentum reputatur.l.ij.§.prius uersic. constat &.l. patris in pric.de uulga.Tabulæ enim pupillares pars sunt et sequela paterni testamēti.l.qui plures in fi. de

ff. uulg. §. igitur inst. ff. pupil. sub. et ideo substitutus pupillo censetur in primis tabulis institutus sub cōditione mortis pupilli. l. cohæredi. §. cohæres de uulgari. l. 1. §. id quod supra eo. et. d. l. in duplicibus & infi. huius tex. & succedens pupillo ex pupillari substitutione perinde habetur ac si ipsi patri hæres existeret. d. l. qui fundum. §. fi. uersic. licet enim infra eo. Namq; omnis substitutus pupillaris subducta persona pupilli ad intellectum paternæ institutionis reuocatur ut in. §. seq. uersic. ut enim opus, quod & Cayus eleganter declarat in. d. l. in duplicibus infra eo. dum inquit In duplicibus testamentis si de legatis quæramus tam ea quę in primis q̃ ea quæ in secūdis tabulis relicta sunt in unum contribuūtur, tāq̃ si & ea quę a filii hęrede

Regu.

reliquisset

reliquisset testator a suo herede sub alia conditione legasset, *Et Vlpia. in. l. i. in princ. infra ti. i. sic aut* Eteni legẽ falcidiam semel esse admittendam etiam si duplex sit testũz ita cõuenit, cõtributis scilicet legatis tã iis, quæ ab ipso pupillo, q̃ iis, quę a substituto impuberi relicta sunt. *Nec admitto eorum sententiã, qui in d. l. In duplicibus in fi. legunt* A suo filio hęrede, *Vt in plerisq; deprauatis Codicibus perperam legitur, quasi relicta à pupillari substituto censeantur ab ipso pupillo sub conditione relicta, quæ sane interpretatio ex eo mãifeste cõuincitur, quod si à substituto data: semper ab impubere instituto relicta uiderentur, nunq̃ ea onera substitutus de sua portione persolueret, contra casum huius. §. et. §. que*

Intellectus ad l. in duplicibus.

situm & .§. cohæres de uulga. Nam propter identitatē personæ grauatæ, portiōes paternæ hæreditatis, confundūtur iuribus predictis et eorū opinōi aperte refragatur tex. in. d. l. qui fundum. §. fi. ibi, « Licet enim pupillo heres existat tamen Circa legem falcidiam perinde ratio habetur, ac si patri heres extitisset.

T*Ertio præmitto, q̈ licet hæreditas paterna per pupillum in totum, uel in partē adita, pupillaris plerunq; dicatur, ut hic, & in. l. ij. §. constat & in. d. l. si filius qui patri de uulga. et* Generaliter omnis *hæreditas adita transeat in nomen, et ius adeuntis, & prioris domini nomen amittat. l. i. §. ueteres cū ibi notatis de acq. poss. attamen, quoniam per pupillū non est perpetuo, et irreuocabiliter acquisita*

Regu.

ſita ſed adhuc ex diſpoſitione patris ad pubertatẽ uſq; defertur, ut patris hæreditas & ſub paterno nomine in multis à lege conſideratur, et ideo portio delata uni ut cohæredi ex primis tabulis, et portio eidem ut ſubſtituto ex ſecundis tabulis contingens, cõfundun tur, et pro eodẽ patrimonio reputantur, perinde ac ſi idem cohæres, et ſub ſtitutus totius paternæ hæreditatis pꝫ tem in primus tabulis pure, et partem alteram ſub conditione accepiſſet. d. §. coheres et. d. l. qui fundum. §. fi. & ſimilis caſus ponitur in. l. ſi te ſolum & in. l. ſi quis ita ſcripſerit de hæred. in ſti. et adeo uerũ ẽ portionẽ pupillarẽ, ſeu a pupillo agnitã adhuc ſub noĩe paternæ hereditatis deferri, ut ſuccedẽs filio impuberi ex ſecundis tabulis ſeu pupill. ſubſtitutione, perinde habea-

 tur

tur, ac si ipsi testatori ex uulgari substitutione succederet: Nam quantum ad paternam hereditatem attinet.

Regu. Paria sunt pupillum institutum non adire uel adire, & in pupillari ętate defungi. *d. l. qui fundum. §. ꝙ si extranei ibi,* Períde agẽdũ ac si cuilibet
" cohęredi substitutus fuisset, eo ꝙ o-
" mittẽte hereditatẽ ex asse hęres ex-
" titisset, *et hac rõne nõ imꝓbatur sub*
" *stitutio pupillaris concepta in persõnã ipsius testatoris l. i. de uulg. l. si ita §. qui filio de secun. tabu. l. penu. C. de Impub. nec predicta aduersantur his, quæ supra de pupill. hæreditate dicta sunt in primo euidentiali, si congrue distiguantur.*

Q*Varto præmitto, qđ licet substitutus pupillaris onera pupillo iniũcta de portiõe, sua præstare*

non

non debeat, sed ea tam̄q̄ æs alienū, et alieno nomine soluere teneatur, ut hic & d. l. qui fundum. §. qui filium ibi,
Non ampliora legata debet substi- „
tutus, q̄ quibus pupillus obligatus „
fuerat, quia non suo nomine obliga- „
tur, sed defūcti pupilli qui nihil am „
plius q̄ semissis dodrantem præsta- „
re necesse habuit, *et consequenter de* „
portiōe pupilli onerata falcidiam eius nomine deducere possit, ut ibi dicitur, & infra hac. l. in. §. quæsitum uersic. Ideoq; quartam: Attamen ubi ipse substitutus suo nomine, uel ī primis, uel in secūdis tabulis oneratur, omne emolumētum ex patris hæreditate sibi cōtingēs respectu onerum suorum simul cōfunditur, et sic habita ratione totius paternæ hæreditatis ad se deuolutæ omnia quoq; onera sibi tam in primis
 q̄ secūdis

q̃ secundis tabulis ascripta præstare tenetur quoniam Identitas personæ oneratæ semper onerum, & partium confusionem inducit: atq; hæc potissima est regula in uniuersa hac materia à nobis primum cõsiderata, et generaliter Omnia onera, et emolumenta ab eodem testatore eidem personæ relicta, sunt inuicem compẽsanda. l.i. §.id quod supra eo. et. d. §. cohæres de uulga. et .d. §. quæsitum, et d. l. qui fundum. §. qui filium &. § fi. & l. φ si alterutro et l. maritum hoc eo. ti. et prædicta adeo uera sunt, ut q̃uis testator totam hæreditatem eidem personæ p̃ partes separatim reliquisset, uel partẽ unam pure, et aliam sub conditione, separatimq; in una tantũ portione onerauerit: tamen propter identitatem p̃sonæ oẽs partes confundentur, perinde ac si

Noua regula fundamentalis.

Regu.

ac si testator ab initio onera ĩ tota hæreditate simpliciter adiecisset d. § quæsitum, ibi Et aliam causam esse eius, »
qui ex uariis portionibus hęres scri »
beretur ibi enim legatorum confun »
di rationem, nō minus quam si semel »
fuisset nūcupatus, ex ea portiōe, quę »
conficeretur ex pluribus: neq; refer- »
re pure sępe, an sub diuersis cōditio »
nibus sit hęres institutus. »

BReuiter paria sunt hæreditatē nō diuidi, uel in partes diuisam eidem relinqui. l. si te solum de hered. Insti. l. i. et ij. de acqui. hæredi. l. quidā elogio C. de iu. delibe. cum uulga. Regu.
Sicut ex opposito paria sunt ab initio p partes relinquere, uel simpliciter relictum ex postfacto distinctis partibus moderari l. lutius. §. quæ habebat ad trebellia. Regu.

Regu. QVinto premitto q̄ diuersitas hæredum, seu psonarum oneratarũ semper impedit partium confusionem, nã portio unius hæredis p tẽ alterius nõ releuat, neq; onerat, sed in singulis separata ratio cõputatur, d. l. in singulis & ideo siue plures sint in primis tabulis hæredes instituti, siue plures in secũdis substituti, quilibet sua onera separatim agnoscit, falcidiãq; de portiõe sua onerata deducit, nõ habita ratione partiũ alijs cohæredibus sine onere relictarũ, nam singulæ portiones ĩ diuersos hæredes diuisæ hæreditates diuersæ reputantur, ꝓpter spẽ aditionis, nec una alteri permiscetur, d. §. coheres infi. de uulga. et d. §. si filio & §. quæsitum infra ea. l. et d. l. qui fundum §. qui filium & l. si is qui quadringenta infra eo. & ibi cõprobatur

quod

quod uulgo dici solet Quisq; suũ por Nota.
tabit on⁹ sua cuiq; cohęret Sarcina, „
nec facto alterius quis iure grauat̃. „
*l. pater familias de hæred. inst. l. sanci
mus. C. de penis, et prædicta locũ ha
bent etiam si omnes partes ad unum p̃
ueniant cum onere alteri iniuncto: quo
niam portio alieno nomine grauata* Reg.
*cum portione libera non confundi=
tur, sed rationem, falcid. separatim
admittit l. quod si alterutro in fi. et l. i.
§. si cohæredis supra eo. et d. §. qui fi=
liũ ĩ fi. nec obstat, quod ex uulgari sub
stitutione portiones confunduntur: quo* Reg.
*niam respondetur, uulgariter substitu
tum propter tacitam onerũ repetitio=
nẽ noĩe ꝓprio obligari l. licet impera=
tor de lega. i. et d. l. quod si alterutro.*

S*Exto et ultimo præmitto ex mẽte
doctorũ q̃uis parũ faciat ad hui⁹* §

B 5 ĩtellectũ

Regu. *intellectum* ꝙ *in imponêda falcidia tã ex paterno, q̃ pupillari testamêto sem per consideratur q̃titas bonorum à te statore relicta, nec attenditur acces=sio, uel diminutio postea facta d. l. in duplicibus, et d.l. qui fundum §. quod si extranei & l.in ratione la ij.& l.in quantitate in princ.infra eo.et ideo bo na pupilli aliundê q̃ à patre profecta in pupillari quidem substitutione com prenduntur: quoniam de pupilli fauore tractatur ut ex toto testatus decedat, l. sed & si plures §.ad substitutos de uulga.l. si pupillus paterna de acqui. hæredi.*

Nota. " Si q̃dẽ fauorabile ẽ ex testa
" mento directum successorẽ habere.

l.& quia de interroga.actio.§.1.insti. quib.manu.nõ licet Sed in rationẽ one rum, & falcidiæ non ueniunt, cũ a pa tre legatis, uel fideicommissis graua

ri non

ri non possint d.l.coheredi.§.cum filiæ de uulga. & infra ea.l.§ fi. & l.qui fundum .§.qui filios infra eo. Proinde manifeste cõfutatur intellectus bartol. Angel.& sequacium, qui de hæreditate pupilli aliunde q̃ à patre profecta in hoc textu agi parum diligenter cõsiderarũt, ut et infra fusius ostẽdetur in oppositionibus. Contra Bart. Angel.& sequa.

HIs itaq; ad totius materiæ elucidatiõem breuiter prælibatis ad responsum, et mentem iurisconsulti ꝓpius accedens tex. in quattuor partes diuidẽdum putaui: Nam in prima ꝓponitur regula uulgaris declaranda: in secunda, ibi (q̃uis enim) declaratur uis, & potestas dictæ regulæ per aliã regulam cum limitatione: in tertia ibi (Quid ergo) declaratur prædicta limitatio ꝑ exemplum, seu illationem in Diuisio tex.

quarta

quarta ibi (Nec ad rem pertinet) *tacito obiecto respondetur, Hoc dicit*

Summa. *In testamento patris, et filij una tantum falcidia seruatur & quāuis regulariter de portione pupilli onerata separatim falcidia deducatur: tamen ꝓpter onerum in secūdis tabulis relictorum contributionem, substitutus, idē ꝙ cohæres de pupillari portione falcidiam non deducit sed quadrantem suis oneribus impendit, cum in primis tabulis oneratus sub cōditione uideatur, et totius paternæ hæreditatis quarta eidem salua, integraꝙ supersit.*

I. Regu. PRiusꝙ ad facti speciem accedamus sciendum est ex hoc textu, tres colligi regulas, ꝗbus singula exêpla subiciemus prima regula est.

QVod in testamento patris, & filij una tātū falcidia seruatur.

Secunda

SEcunda est quod legata à pupillo relicta per substitutum eius uelut onus alienum deducto quadrante præstātur: 2. Reg.

TErtia propter contributionem onerum pupilli, et substituti quãdoq; falcidia de pupillari portione nõ deducitur: 3. Reg. Quantum ad primam, & secundam regulam interpretes, et doctores probe cõuenire uidētur, et exēpla satis cõgrua adaptare: uerũ circa ultimam regulã, ĩ qua totius huius responsi cardo uersatur, omnes (bona pace dixerĩ) a recta semita deuiarũt, Cõtra oēs doct. Exemplum primæ regulæ Testator habens centum in bonis filio impuberi in solidum instituto titium pupillariter substituit, et ab utroq; tam in primis, q̃ secundis tabulis ultra dodrãtem totius hæreditatis legata reliquit, Decessit

impubes

Impubes adita hæreditate, nec dum so lutis legatis substitutus tam suo, q̄ pu pilli nomine à legatarijs cōuentus du plicem falcidiam quasi de duplici testa mento deducere cupit, et sic ex primis tabulis, pupilli nomine uigīti quinq; de inde ex septuaginta quīq; residuis que eidē ex scd̄is tabulis deferuntur: alium quadrātē noīe ꝓprio retinere cōtēdit, legatarij cōtra, unā tātū falcidiā de beri dicebant, quòd de uno solum testa mento, unaq; hæreditate ageretur, pa pinianus in eorum fauorē contra substi tutum respondit, ex uulgari regula in

Reg. duplicibus testamentis cuiusmodi sunt patris, et filij tabulæ, unam falcidiam seruari: quoniam et si testamentum pa tris, et filij aliquo respectu duplex cē seatur, et duplex hæreditas, diuersoq; modo nunc paternū, nunc pupillare in

telligatur

telligatur. l. Papinianus §. sed nec impuberis de inoffi. testa. §. igitur inst. de pupillari l. ex pupillari de uulg. uerũ tamen, quãdo de sola patris hæredita te tractatur & præsertim quo ad falcidiam imponendam unum testamentũ unaq; hæreditas reputatur nimirũ patris, non autem impuberis. l. patris de uulga. proinde omnium legatorum tam in primis q̃ secundis tabulis relictorum fiet cõtributio, seu permixtio, & de eis omnibus uelut ex uno testamento, et una hæreditate relictis una tantum falcidia deducetur, et hæc est prima facti species ad primam regulam de duplicibus testamentis, quando scilicet substitutus non est coheres pupillo datus, sed in secũdis tabulis simpliciter nuncupatus.

Exemplum

EXemplum secundæ regulæ testator filio impuberi ex semisse instituto titium cohæredem substituit a filio ultra dodrantem suæ portionis legata reliquit, á ticio substituto nihil legauit, Decessit impubes hæreditate adita, et legatis non solutis, substitutus a legatarijs conuentus falcidiā de pupilli semisse ex psona ipsius pupilli onerati retinere contendit, legatarij opponunt totam hæreditatem paternam non esse exhaustam cum semis integer, & illibatus ipsi substituto ex institutione supersit, ideoq; legi falcidiæ locū non esse Papinianus pro substituto cō tra legatarios pronunciauit, statuens regulam, quod ex quo solus pupillus fuit oneratus non, etiam substitutus, legata ab impubere data, nō ut proprium, sed ut æs alienū, ab ipso substituto debentur,

debentur & consequenter in sola portione pupillari rationem falcidiæ ineūdam, nec portionem ipsius substituti cohæredis liberam & expeditam cū hereditate pupilli onerata confundendā quippe cum aliena onera nemo de suo soluere teneatur d.l. ꝙ si alterutro & d.l. qui fundū §. qui filium uersic. si uero prius infra eo. & hactenus omnia clara expeditaq; habentur & in hac parte tam interpretes q̄ doctores nihil perperam cogitarunt At uero circa exemplum ultime regulæ in qua de legatorum contributione, & partium seu hæreditatum confusione tractatur, interpretes atq; doctores oēs non modo inuicem dissentire sed & in multis hallucinari uidētur Quattuor etenim præsupponunt quæ a mente iurisconsulti longe recedunt. Regu.

Cōtra do. PRimus error est quod in hac specie pupillus fuerit solus institutus nec substitutum cohæredem acceperit Cũ tamen Papinianus de hæreditate idest portione pupilli onerata nihil per substitutũ deduci uelit quod idem substitutus habeat plus quarta paternæ hæreditatis quæ uerba nullo sane modo conuenire possunt nisi substitutum etiam cohæredem proponamus, ut aput eundem papinianum in tali specie plerunq; refertur d.§.cohæres de uulga.& d.§.quæsitũ infra.eo. nec à stilo & phrasi iurisconsultorum deuiat de substituto principaliter dubitare et eundem cohæredẽ tacite præsupponere ut in l.si filius qui patri secũdum uerum sensum de quo infra in iiii. opposito et aput Iulianũ in l.si paterfamilias de hæredi.insti.et in §.fi.inst. de uulga.

de uulg. que iura (ut omnis scrupulus demeretur) Alciati de legibus benemeriti opera sic restituta sunt ut cō hæredis uocem expresse receperint et ubi prius legebatur Eiq́ si heres nō esset sempronio substituit, Cœptum sit legi semproniũ cōheredē substituit. Nam Romanos cum filijs impuberibus authoritate paterna & ciuitatis moribus substituerent uerisimile ē uel fratrē pupilli uel sanguine propīquiores, uel singulares optimosq́ amicos, qui à ꝓpīquis nihil differre credũtur, substituere consueuisse atq́ eosdē in primis tabulis plerunq́ hæredes nuncupasse, & hac ratione iurisconsultos in suis responsis dationem cohæredis seu ex primis tabulis institutionē, cum de secundis tantum tabulis ageretur, ueluti rē solitam, et facile subītellectam
Alciat.

lectam nõ expressisse praesertim quod ex alijs facti Circunstãtijs ea qualitas necessario colligeretur ut in iuribus prealegatis.

Cõtra do. SEcundus ex praecedẽti error cõsequitur, ꝙ propter cõtributionẽ legatorum à substitutio relictorum, dicunt euenire posse, ut substitutus uel nihil retineat, uel lõge plus habeat quarta paternae haereditatis, q casus sic distinctum receptus qualiter euenire possit non satis uideo, nisi chimerã aliquã cum ipsis effingamus, Nam fieri nullo modo potest, ut propter contributionem onerum suorum substitutus ũq̃ plus habeat paternae haereditatis, q̃ si oneratus non fuisset, quippe onera omnem haereditatem minuũt semper, non etiam augẽt, Sed et tanti erroris causa in promptu est, Illi enim uerba

papiniani

papiniani causatiue ꝓlata, disiunctim acceperunt et dictionẽ (uelut) que unica est & causam rationẽq́; significat l. præcibus in fi. C. de impube. l. ipse significas. C. de falsis in duas dictiones secuerunt, alternatiuamq́; orationem statuerunt, euidẽti scriptorum uitio decepti. Que sane librorum & scribarũ uitia nõnũq̃ magnas ipsis primũ glossatoribus, & deinceps reliquis doctoribus tenebras offuderunt eosq́; in uarios errores pertraxerunt, ut copiose satis ostendimus in methodo studendi cap. xv. & . xvi. quo fit ut (nisi parũ ingenui esse uelimus) nos plurimum debere fateamur nonnullis ætatis nostræ uiris doctissimis qui huiuscemodi uitia, & errores sua diligentia partim sustulerũt partim alijs cognoscendos dederunt, inter quos maxime (meo quidẽ iuditio)

Velut dictio unica

Nota.

Budeus. iuditio) cælebres extiterunt Budeus,
Zazius. Zazius, & Alciatus, & Grego
Alciatus, Haloãder rius, Haloander, uir bonarum lite-
rarum studiosissimus, & Typogra-
phus solertissimus cuius labore, & in
dustria locos plus mille restitutos ha
bemus, Is enim ut ex præfatione suarũ
pandectarum colligi potest, huic potis
simum rei manum admouit, legesq; tã
Cæsarum q̃ iuriscõsultorum ex colla
tione tum Florentinorum tum aliorũ
uetustissimorũ codicũ in diuersis Ita-
liæ & germanie bibliothecis inuento
rum impẽdio repurgauit, eoq; in nego
tio bonã (ut ipse fatetur) suæ ætatis p
Textus castigatus tem consumpsit Cuius ego pandectas
cum legerem inter cæteros textũ hũc
quattuor in locis castigatum depræn-
di, præsertim in hac ipsa dictione (ue
lut) que i alijs libris disiũctim legitur
quod

quod uitium tanti momenti fuit ut textum alio qui facilem, & apertum horribilem difficilimũq́; reddiderit, interpraetesq́;, & doctores toto sensu fefellerit, in caeteris tribus locis ibi secundum quae euenire potest, & ibi, cum patris suffecerit, & ibi quoniã pater legauit de suo, antiquam lectionem nõ reprændo utram enim accipias nihil ẽ discriminis.

TErtius error consequitur cum praesupponant tempore mortis testatoris haereditatem paternam legatis suffecisse, ac post mortem patris facto pupilli diminutam fuisse, quod sane absurdum est, cum secundum ueriorem opinio. pupillus paternam haereditatem substitutiõi pupillari obnoxiã non magis minuere possit quàm uulgari substitutiõe munitã, nec dum aditã, Cõtra do.

 uel

uel fideicommisso subiectam alioqui semper in potestate pupilli foret pater nam prouisionem eludere, & substitu tum fraudare, qui tamen ipsi inuito au thoritate imperioq; paterno surroga tur.l.moribus de uulga.inst.de pupill. in princ.quam opi.uti ueriorem sequũ tur Bal.in.l.nec ei.§.eorũ de adoptio & in.l.fi.§.sinautem.C.commu.de le ga.per tex.in.l.i.§.sed nonnullos ar= guendo à speciali de tutell.et ratio.di= strahen.& Alex.ueriorum opinio num amator in.l.marcellus.§.res quæ ad trebellia: & nouissimi bononienses in.l.filiusfam.§.diui in fi.quam etiam nos ibi legendo latæ probauimus de le ga.i.licet Ias.in.d.§. res quæ cõmunẽ in contrarium esse testetur quod me pa rum mouet cum communis error ho minum ueritati legũ præiudicare non debea

debeat l.illicitas.§.ueritas de off.præ sid. Nec obstat tex.in.l.in duplicibus & alijs similibus quæ dicunt non esse spectandam diminutionem factam uiuente pupillo, quoniam respōdetur, ea iura loqui in diminutiōe necessaria, nō autē uolūtaria, puta quia forte bona, paterna incendio, ruina, uel casmatæ, uel alio quouis modo perierit ita ut ad ea regressus haberi nō possit, secundū Imol. hic Col.iij. uersic. Item nota q̄ omnium præterea satis liquet papinianum loqui de in sufficientia pupillaris hæreditatis idest portionis propter legata tam in primis q̄ secundis tabulis relicta, non propter diminutionem á pupillo factam, Nam uniuersa dubitatio textus in oneribus, et contributiōe uersatur, Cæterū esto quod sub pupillo paterna hæreditas fuerit dimi

nuta ad huc tamen non procedent illa
" *uerba,* quod substitutus de suo qua
" drante prestabit qđ testator de suo
" legauit, *quae uerba necessario praesup ponunt de falcidia portiōis pupillaris, substituti onera persoluenda, cum Idē substitutus fuerit etiam in primis tabulis nūcupatus, portioq́ ei ut cohaeredi relicta, respectu suorum onerum con fundatur, ut aperte colligitur ex illo*
" *uersi. ueluti,* Pl⁹ quarta habeat pīne
" hereditatis, *quem sensum cum praefati doctores nullo mō recipere uoluerint, praedicta uerba de quadrāte uarie, et ridiculae explicare coacti sunt.*

Cōtra bartol Ang. & sequa.

N*Am Bartol. et Angel. (et est quartus error) exponūt de suo quadrante idest haereditate castrēsi ipsius pupilli cum etiā pupillus posit esse miles. l. fi. C. de mili. testa. l. sed & si milites*

si milites.§.iam autē de excu. tuto.manifeste fatentes hunc tex.aliter intelli non posse q̄ in pupillo milite Castrēsia bona possidente, propter regulam l. placet de acqui.hæredi. quam interpretationē Paulus castren. & Immola recte confutant cum bona pupill. Castrensia ratione onerum cum paternis minime confundantur.d.l.cohæredi.§.cum filiæ de uulga.& latæ supra in ultimo euidētiali docuimus præterea(ut Iidem inquiunt)uerisimile nō est papinianum generalem,et uulgarem regulam in uniuersa hac materia falcidiæ per casus solitos,& frequentes tractandam ad singularissimū casum pupilli militis uoluisse restrīgere, l.nam ad ea de legi. & præsertim cū de pupillo milite in toto hoc titulo ne syllaba quidem inueniatur, & ēt iure

isto

isto in militis testamēto falcidia cessat l. si miles, & l. fi. infra eo. unde aliter explicat ipse castrensis qui uerum sensum assecutus sibi uidetur, De suo quadrante inquit idest de suo ipsius, substituti patrimonio quasi substitutus nihil habens paternæ hæreditatis tum ꝓpter onera à testatore iniuncta tum ēt propter diminutiōem à pupillo factā, legata à se in secundis relicta tabulis de propria substantia suplere, & sarcire teneatur, quod sane ꝗ ridiculum sit, & à papiniani mēte alienum nemo non uidet, præsertim quôd nullius tam supinus, & communis sensus expers inueniretur, qui tali pupillo succedere uellet, ut in simili arguit Vlpianus in l. si pupillus de acqui. hæredi. ibi,

Pauli intellectus.

Cōtra Paulum.

" Metu enim onerum patris timidius
" ēt quis hæreditatē ípuberis ad ibit.

præterea

præterea non congruit quod iuriſcon-
ſultus qui proprie, & eleganter loqui
ſolet, hæreditatẽ pupilli ſeparatã uel
etiam ipſius ſubſtituti patrimoniũ ita
ſimpliciter, & incompoſite quadran-
tem appellauerit, Ecce igitur q̃ negli
genter, & infæliciter maiores noſtri
elegantiſſimum celeberrimi Papinia
ni reſponſum cum ſuis regulis & exẽ
plis pertractarint nuſquam arbitrati
iuriſconſultum de ſubſtituto Cohære-
de locutum inſufficientiamq́; portionis
ſeu hæreditatis pupillaris non ad pu-
pilli diminutionem ſed ad onera teſta-
toris referendam, quæ omnia cum ſe
cus atque debuerunt intellexerint, coa
cti ſunt, multa erronea præſupponere
multa de inuẽtario extra propoſitam
materiam impertinenter effundere
cum nihil commune habeat lagatorum
contributio

contributio, & portionum paternarum confusio propter falcidiae rationem cum inuentarij seu repertorij cōfectione, ut ex omnibus huius tituli responsis facile colligi potest in quibus ne minimum quidem uerbum de inuentario reperitur, & sic comprobatur uulgare adagiũ. Error initio paruus in finem maxime dilatatur.

Nota.

Verus intellectus. ad. §. ꝗ uulgo.

QVamobrem Omissis eorũ uanis interpretationibus ueram facti speciem sic habeto Testator filio impuberi ex semisse instituto titiũ cohaeredem substituit, a filio in primis tabulis quaedam legata dedit. Deinde in secundis tabulis a substituto alia legata reliquit, ita ut omnia simul iuncta totius pupillaris portionis, seu haereditatis uires ex cederent, defuncto pupillo

pillo facto hærede legatis non solutis substitutus legata simul contributa uolebat hæreditati pupillari omnia reputare,& consequenter falcidiam deducere,motus ratione quoniam ex pupillari testamento & in hæreditate pupilli fuerat oneratus,neminem uero ex ullo testamento posse ultra dodrantê hæreditatis in eo relictæ prægrauari.

EX aduerso legatarij replicabãt,legata ab ipso substituto relicta ita fore contribuenda,ut de pupillari semisse integra soluerentur, etiã errogato quadrante:cum ei satis, abũdeq; sufficere debeat, si respectu suorum onerum in reliqua testatoris hæreditate iustam compensationem habeat.Cæterum de hæreditate pupillari nihil retinendum esse nisi communibus

bus

bus legatis ex toto solutis, quandiu ali unde ipsi substituto in hæreditate testa toris de quarta consuli põt. Papinianus audita specie facti, & rationibus hinc inde deductis, ex suo diuinio inge nio respondit. Contributionem legato rum ita faciẽdam, ut si pupilli portio, siue hæreditas legatis omnibus nõ sufficiat saltem relicta ab ipso substituto de suo quadrante soluãtur, hoc est de quadrãte sibi debito in hæreditate pupilli: quoniam de suo scilicet ipsius sub stituti talia onera relicta uidẽtur: De suo enim oneratur substitutus quando ab eo legata relinquũtur: si quidem onus iniunctum personæ censetur iniunctum portioni, ut infra ea. l. . quæsitũ nec obstat, quod ex nullo testamento præstatur ultra uires suæ hæreditatis: quoniam hoc casu portio substituto ut cohæ-

ut cohæredi relicta cum hæreditate pupilli respectu ipsius substituti confun di debet: ut propria onera supleantur quandoquidem legata in secundis tabulis a substituto relicta censentur in primis eidem sub conditione imposita: tanquã igitur ex testamento paterno oneratus usque ad uires totius paternæ hæreditatis, quæ ad eum tam ex in stitutione, quam substitutione tota peruenit, legata propria præstare tenetur: pupillaris enim substitutio nihil aliud est, quam paterna institutio facta sub conditione mortis pupilli: quemadmodum uulgaris sub conditione non aditæ hæreditatis. l. i. §. i. de uulga. Ex quibus infertur, quod substitutus pupillaris ultra suum quadrantem in secundis tabulis oneratus de reliquo suo semisse onera sua prestare tene-

 tur:

tur: quoniam hoc perpetuo uerum est.

Regu. *Omnia onera, & emolumenta ab eo dem testatore eidem personæ ascripta fore inuicem compensanda, dummodo quadrans totius hæreditatis integer maneat ut eleganter declarauit Idem Papinianus in d. §. cohæres de uulg. Cuius uerba simul cũ paraphrasi nostra libẽter subiecimus: ut hæc subtilis, delectabilis tamẽ materia ab omni scrupulo, & difficultate uendicetur.*

Ad. §. cohæres Intellectus. *Textus sic habet. Cohæres impuberi datus, eidemq; substitutus legata in secundis tabulis relicta perinde præstabit, ac si partim pure partim sub conditione institutus esset: & ideo, cũ ipse suo noĩe oneratus fuerit, nimirũ ꝗ portiõe sua suplere tenetur, quicquid à se relictum est. quod si alius non cohæres impuberi substitutus fuerit*

rit

rit in portione pupillari penitus onera ta, falcidiæ rationem inducet, licet co hæres pupilli integram portionem ha beat paternæ hæreditatis. Siquidem pars unius ex hæredibus alterius por tionem neque releuat, neque onerat: quinimo in singulis hæredibus falcidiæ ratio separatim ponenda est. tantam uero cohærentiam haberent tabulæ pupillares. Cum testamento paterno ut ex utrisq; tabulis in eadem re con iunctio, & concursus inducantur, & eadem paraphrasi difficultatem hu ius. §. sic explicare uisum est. Quod uulgo seu communiter dicitur in testa mento patris, & filij unam tantum falcidiam seruari, qualiter procedat uideamus. Quamuis enim substitutus pupillaris legata a pupillo relicta non ut proprium, sed ut alienum onus præ

Regu.

Ad. §. qđ uulgo Intellectus.

ſtare debeat, poſsit'ꝗ; falcidiam pupilli nomine de hæreditate, ſeu portione eius onerata deducere, etiam ſi idem ſubſtitutus, ut cohæres integrū ſemiſſem habeat paternæ hæreditatis: cum onera alteri aſcripta nemo proprio nomine ſubire cogatur. Verumtamen ſi idem ſubſtitutus, & cohæres in ſecundis tabulis oneratus fuerit, legata tam à ſe, quam à pupillo relicta contribuet, & ad quantitatem totius paternæ hæreditatis reuocabit propter quam cõtributionem fieri poteſt, ut de hæreditate, ſeu, portione pupilli nihil retineat, ueluti habẽs adhuc plus quarta paternæ hæreditatis: Nam & ſi ubi ſolus pupillus oneratur, ſolius portionis pupillaris ratio habenda ſit, nec ſubſtituti cohæredis portio confundatur: tamẽ propter onera pſi ſubſtituto iniuncta

to iniuncta, ad quem tota paterna hæreditas tam ex institutione, quam ex substitutione peruenit totius hæreditatis ratio habenda est. Igitur siue tota pupilli portio legatis iam in primis tabulis exhausta sit, siue postea in secūdis tabulis ex persona substituti contributis legatis penitus onerata, utiq; quadrans dictæ pupillaris hæreditatis iure falcidiæ substituto debetur: sed illū pro oneribus suis totum legatarijs erogabit: de suo enim soluet. substitutus id solum, quod de suo idest ab ipso relictum est, nec quicquam facit, quód ex nullo testamento præstari debet ultra uires, hoc est ultra dodrantem patrimonij in eo relicti: quoniam in hac parte iuris, ubi de falcidia tractatur, legata in secundis tabulis à substituto data censentur in primis tab. ab eodem sub

conditione relicta & impuberi substitutus perinde habetur, ac si in testamento paterno sub conditione mortis pupilli institutus fuisset, ut toties dictũ est. Et hic est uerus, atque germanus sensus huius elegantissimi textus: in quo maiores nostri tantopere laborarunt: ex cuius uerbis, ac mente sequentia axiomata adnotari facile possunt.

Notabilia ex textu. 1



ESTAMENTVM patris, & filii unum, & idẽ reputatur.

2 In duplicibus testamẽtis una tantum falcidia seruatur.

3 Legata à pupillo relicta p eius substitutũ uelut onus alienum deducta falcidia soluuntur.

4 Vltra dodrantem nulla portio, uel hęreditas legatis oneratur.

Vbi

5 Vbi ſubſtitutus,pupilli tantum no-mine tenetur,eius portio cum pupillari non confunditur.

6 Onera pupillo aſcripta de pupillari tantum portione ſoluũtur.

7 Portio ſubſtituti cohæredis, onera pupilli non ſuplet.

8 Ex nullo teſtamento vltra vires ſuę hæreditatis prętatur.

9 Nemo de ſuo aliena onera præſtare tenetur.

10 Legata à pupillo,& eius ſubſtituto relicta contribuuntur.

11 Propter legatorum contributiõem nonnunq̃ tota pupilli hæreditas erogatur.

12 Subſtitutus,& cohæres legata propria de proprio quadrãte perſoluit,

13 Vbi ſubſtitutus proprio nomine tenetur eius, portio cum pupillari confunditur.

14 Reſpectu ſubſtituti onerati totius

pſnæ hæreditatis ei obuentę ratio habenda eſt.

15 Onus iniunctum perſonæ portioni eiuſdem aſcriptum cenſetur.

16 Identitas perſonæ grauatæ onerum, & portionum confuſionem inducit.

17 Omnia onera, & emolumenta ab eodem teſtatorę eidem perſonæ aſcripta ſunt inuicem compenſanda.

18 Legata in ſecundis tabulis data cēſent in primis ſub cōditione relicta.

19 Subſtitutus idem ꝑ cohęres partim pure, partim ſub conditione dicitur inſtitutus.

20 Pupillaris ſubſtitutio pars eſt, & ſequella paterni teſtamenti.

21 In bōis pupillaribus aliūde q̃ à pře profectis pater pupillū grauare nō poteſt.

22 Paria ſunt pupillum non adire, uel i pupillari ætate defungi,

23 Sibſtitutus pupillariter ſubducta ꝑ

ſona

ſona pupilli ad intellectum paternæ inſtitutionis reuocatur.
24 Portio paternæ hereditatis per pupillum agnita pupillaris hæreditas nuncupatur.
25 In ſingulis hæredibus ratio falcidiæ ſeparatim imponitur.
26 Diuerſitas heredum partium, & onerum confuſionem explodit.
27 Quot ſunt hæredes inſtituti, tot hæreditates relictæ uidentur.
28 Paria ſunt hæreditatem non diuidere, uel vni tantum diuiſã relinquere.
29 Legata ab inſtituto relicta à uulgari ſubſtituto repetita cenſentur.
30 Vulgaris ſubſtitutus ad inſtituti onera proprio nomine obligatur.
31 Pupillaris ſubſtitutus ſuo noīe pupilli oneribus non aſtringitur.
32 Portio onerata accedens non grauatæ nullum accipit ſuplementum.
33 Portio integra accedens grauatę cũ

eadem confunditur, & omnia legata confirmat. Hęc, & alia per multa ex suo quisq; ingenio ex mēte iurisconsulti in tota hac materia ellicere potest. Nunc.

VENIO AD OPPOSITIONES.

Primo.



PPONO, q; Immo institutio, & substitutio pupillaris duo testamēta dicātur de duplici hæreditate confecta. l. ij. §. prius de uulga. §. igitur inst. de pupill. igitur duplex falcidia imponenda. d. l. in singulis Sol. Omnia iura unicum testamentum appellant: quoniā pupill. sub. pars est, & sequella testamenti paterni, nec per se subsistere potest. d. §. prius uersic.

ſic.cõſtat,& .d.§.igitur,& .l.qui plu
res in ſi.& .l.patris de uulga. ab uno
enim teſtatore dependet, & unicam
ſolemnitatem deſiderat, licet ex inter
uallo fieri poſsit ad inſtar codicillorũ
l.ſi quis eũ.§.i.de uulg.l.fi.de codicill.

OPPONO pupillaris ſub- ſtitutio dicitur teſtamẽtũ ipſius filij, non autem patris, & filium teſta toris à legitima illius portionis exclu dit.l.papinianus.§.ſed nec impuberis de inoffi.teſta. Sol.pupillaris ſubſti tutio modo patris modo filij teſtamen tum reputatur, prout ipſi pupillo, & ſubſtituto utilius fuerit, ne ſubſtitutio collidatur ſecundum Imol.hic, attamẽ à patre ſemper uim formam, & ori ginem capit ut infra hac ea.l.§.pro ximo uerſic.ut enim opus patris, et uni cum ſemper teſtamentum cenſetur. d. Secunda.

§.prius

§. prius uersic. constat & .d.§.igitur cum prælegatis.

Tertio. OPPO. *licet unicum sit testamentum, duplicem tamen hæreditatem complectitur.d.§.constat & d.l.patris de uulga.& .d.§.igitur & in duplici hæreditate semper duplex falcidia imponitur.d.l. in singulis & l.ꝑ si alterutro infra eo.*

Sol. In hæreditatibus diuersa ĩpõitur falcidia, quando à diuersis hæredibus possidentur: quia diuersitas hæredum semper impedit confusionem, &
Regu. *separatam rationem inducit.d.l.in singulis: Secus quando diuersæ portiões, uel hæreditates ex eodem testamento ad eandem personam deferuntur: quoniam identitas personæ semper onerũ*
Regu. *& emolumentorum confusionem inducit, ut supra dictum est.*

Oppo.

OPPO. *etiam in eadem per= sona portiones, & onera nō cō funduntur: Immo pupillaris substitutus, et cohæres legata tantum in secundis tabulis relicta præstat, & falcidiam de pupillari hæreditate deducit, non habita ratione totius paternæ hæreditatis, ut est casus in.l. si filius qui patri in fi. de uulgari.* Quarto

Sol. quādo substitutus Cohæres ex institutione quoq; testatori successit, tota hæreditas respectu ipsius substituti cō funditur: quoniam tota ad eum peruenit, ut hic, et in.d.l. qui fundum.§. quod si extranei infra eo. ibi, Quod si extranei hæredis semis totus legatus fuerit, isq; pupillo, à quo nihil legatum erat ex substitutione hæres extiterit, poterit dici augeri legata, & proinde agendum, ac si cuilibet cohære „ di

« di substitutus fuisset, eoq; omittente
« hereditatem ex asse heres extitisset:
« quia semper substitutus rationem le
« gis falcidiæ ex quãtitate bonorum
« quæ pater reliquerit deducet.

Intellect⁹ uerus ad. l. si filius qui patri. *Hæc Iulianus. Cæterum in. l. contra ria frater fratri impuberi cohæres, et substitutus portionem suam ex institu tione omisit, & solam pupillarem am plexus est, atq; ita soli pupillo hæres existens, de pupilli hæreditate graua ta falcidiã iure deduxit, nõ hĩta rõne facultatum patris, quæ ad eum minime peruenerunt, & hic est uerus sensus dictæ legis: ex qua. l. licet, & illud ad notare, quod supra deduximus, scili cet, plerunq; substitutum pupillarem à iurisconsultis cohæredem præsuppo ni, quãuis illud minime exprimatur.*

Oppo.

OPPO. quod inter pupillum, & substitutum nulla fiat onerũ contributio, sed quilibet onera sua separatim cognoscat, ita ut de pupillari portione substitutus falcidiam deducere possit, quamuis suam portionem habeat ut institutus, ut est casus infra ea. l.§.quæsitum, qui huic nostro.§.ex diametro pugnare uidetur. Quinta.

Sol. Iurisconsultus hic loquitur de substituto in secundis tabulis onerato: quo casu sua, & pupilli onerata contribuuntur, & communi calculo subiiciuntur, ut expresse dicitur in d.§.quæsitum in.i.responso. at in secundo responso, unde oritur difficultas, loquitur de substituto, ut cohærede ĩ primis tantum tabulis onerato, quo casu legatorum uelut á diuerso hærede relictorum ratio separatur: nam (ut alias sæ

pe

Regu. pe adnotauimus) Diuersitas hæredũ partium, & onerum confusionem explodit, per multum ergo refert, utrum substitutus in primis tabulis ut cohæres, an ut substitutus in secundis tabulis oneretur, & differentiæ ratio in promptu est, quoniam legata in primis tabulis data ut à diuersis hæredibus, & in diuersis hæreditatibus relicta uidentur, ideoq; in singulis, & legatorum, & falcidiæ ratio separatim ponenda est, d. l. in singulis, quæ uero in secundis tabulis relinquuntur, quasi ab eodem hærede, & in eadem hæreditate relicta uidentur, atque ideo confunduntur d. §. quæsitum & d. l. in duplicibus cum simil.

Sexto. OPPO. fortius, quod nulla regulariter inter pupillum, & substitutum debeat fieri contributio

per

per hunc textum in princ. ubi pro regula traditur, legata à pupillo relicta, uelut æs alienum esse soluenda, igitur substitus ea cũ oneribus proprijs miscere non debet contra tex. in d. §. quæsitum in i. respon.

Sol. Legata pupillaria uelut æs alienum soluenda sunt, quando intra dodrantem relicta sunt & nihil in secundis tabulis legatum est, & consequenter, quando in pupilli hæreditate falcidiæ locus non est, tunc enim substitutus integra legata præstare compellitur, tametsi idem ut cohæres in portione sua ultra uires oneratus fuisset, ita respondet immol. ex mente dyn. hic in glo. debeat in fi. per tex. in. l. 1. C. de bo. autho. iudi. possis.

OPPO. ꝙ Immo, omnia legata à pupillo relicta indistin- Septimo.

cte, & perpetuo ab ipso substituto ue= lut propria debeantur, & de portio= ne propria suppleantur, & consequen ter de pupillari hæreditate, seu portio ne nunquam falcidia deducatur sed ex persona substituti cohæredis totius pa ternæ hæreditatis ratio confundatur: quoniam pupillaris substitutus uulga riter substituto æquiparatur, ut hic in fi. & d.l.qui fundũ.§.quod si extranei & d.§.cohæres de uulga. Sed legata ab instituto à uulgari substituto repe tita censentur, & proprio oneri ascri buntur, l.licet Imperator de lega.1.et d.l.qui fundum.§.qui filium uersic. sed hoc ita uerum est infra eo.

Regu.

Sol. licet pupillaris substitutio uul gari equiparetur in hoc, ꝙ p utrãq; testatori succeditur, & uterq; substi tutus ad intellectum paternæ institu

tionis

tionis reuocatur. l. pen. C. de impube. d. §. seq. uersic. ut enim opus, & d. §. q; si extranei infra eo. tamen quo ad onerum, & falcidiæ rationem patet differentia, nam legata ab impubere relicta iam in persona ipsius pupilli, qui patri hæres extitit, effectum habuerũt obligationẽq; produxerũt. igitur non possunt amplius à pupillari substituto repetita censeri, quia eadem res eodem respectu bis deberi non potest. l. qui bis idem de uerbo. obliga. secus in uulgari, per quam succeditur iure proprio in portionem hæredis non adeuntis, in cuius persona nunquam onera constiterunt d. l. quod si alterutro infra eo.

OPPONO, quod Immo substitutus pupillaris in hæreditate pupilli legatis, & fideiconmis- Octauo.

ſis grauari non poſsit, ut eſt caſus in l. Cohæredi. §. cum filiæ de uulga. l pen. C. de lega. etiam ſi teſtator eſſet miles. l. miles ita. §. ſi miles de milita. teſta. l. antepen. de lega. i. l. qui fundum. §. qui filios infra eo.

Sol. Omnia prædicta iura loquũtur in ſubſtituto pupillariter filio exhæredato, ad quem nihil paternæ hæreditatis peruenit, ſecus in ſubſtituto in bonis ab ipſo teſtatore profectis, uel etiã in ſubſtituto impuberi exhæredato, quando idem fuit etiam à patre inſtitutus, quoniam onera ſibi in ſecundis tabulis aſcripta cum emolumento paternæ hæreditatis compenſantur, ut infra ea. l. §. fi. & l. plane ſi filium in princ. de lega. i.

Vltimo. OPPO. & hæc eſt fundamẽtalis oppoſitio in tota materia.

Dicitur

Dicitur hic, & in. §. quaesitum, quod legata à pupillo, & ab eius substituto relicta contribuenda sunt, seu confundenda, & communi calculo subijcienda, sed hoc admisso sequeretur, quod onera pupilli aliquando de portione substituti cohaeredis soluerentur: quoniam onerum cõtributio necessario portionum confusionem inducit, ut toties dictum est: quod tamen uidetur esse contra mentem legum expresse uolentium, portionem unius haeredis alterius cohaeredis onera non supplere, ut in d. §. proximae seq. uersic. quid tamẽ dicemus & d. §. quaesitum, & d. §. ꝙ si extranei & d. l. quod si alterutro cũ similibus: finge enim testatorem à pupillo haerede semissario ultra suum dodrantem legasse, deinde ab eius substituto, & cohaerede paucula reliquisse.

Si omnia onera simul confundantur, nulla falcidia pupilli nomine detrahetur, nec substituti onera de pupillari, quadrante soluentur: quod tamen papinianus hic aperte presupponit, quinimo onera pupilli superflua, de portione substituti suplerêtur cõtra omnia iura, & rationes.

QVamobrem diligentius hic animaduertendum est, ne iura de contributione loquentia ita simpliciter, & indistincte intelligantur, ut prædictæ antinomiæ, seu contrarietates emergant. Sit igitur solutio, quod ubicunque iura dicunt, legata à pupillo, & eius substituto esse contribuenda, intelligantur respectu onerum substituti duntaxat, ut de portione pupilli, uel eius quadrante soluantur, ut hic, nõ e contra, ut onera pupilli de substituti

portione

portione praestentur, & ideo sic dici posse uidetur, legata substituti legatis pupillaribus permisceri, non utique augendo pupillaria, sed potius minuendo, ut in exemplo. Testator habens cẽtum in bonis à pupillo insolidum instituto sexaginta legauit, à substituto triginta, plane debet haec oĩa confundi, & ad legitimam quantitatem mediante falcidia reduci, & sic tam de legatis à pupillo, quàm à substituto relictis pro rata fiet diminutio, ut est casus in d. §. quaesitum, ibi Dixi quãtũ ad legata quae pater à filio item substituto reliquit nullam fieri posse separationem cum communi calculo subijciantur, & inuicem contributionem inducant. Caeterum pupilli onera nunquam substituti oneribus ita miscentur, ut eius portionẽ afficiãt, unde si testator habẽs du

cēta ĩ bōis hæredē ſemiſſario octogĩta legauerit, & a ſubſtituto cohærede uiginti quinque, ſubſtitutus ſeptuaginta-quinque duntaxat pupilli nomine ſoluet quinque ſuperfluis per falcidiam reſecatis, Reliqua uiginti quinque de dicto quadrante præſtabit, cum in alio ſemiſſe, largiorem habeat compenſationem, & hic eſt caſus. §. i. huius. Dicet aliquis, ſi ſubſtituti onera ad rationem portionis ſuæ reducuntur, & uſque ad uires illius integra perſoluuntur, quorſum attinet ea de pupillari (ut papinianus ait) quadrãte perſoluere? Reſpondeo, quoniam legata in ſecundis tabulis, hæreditatem pupilli onerare uidentur, & ideo, ut ſatisfiat uoluntati teſtatoris etiam pro oneribus ſubſtituti, tota pupilli hæreditas errogatur, admiſſa paternæ hæreditatis compenſatione

pensatione hæc aliquanto fusius prosequi libuit, ut omnis difficultas facilius tolleretur.

VErum unus tex. mihi negotium faci. in d. §. quæsitum, ubi in casu substituti cohæredis, legata à pupillo, & substituto relicta inuicem contribuuntur, & communi calculo subijciũtur, Secundum quæ, duorum alterum fatendum est, aut onera pupillaria etiã de substituti portione supleri, aut neq; respectu ipsius substituti portionem suam confundi, & ideo nonnulli propter illum textum aliã, & longe diuersam ab opinioue nostra sententiam habuerunt. Nempe omnia legata à pupillo, & eius substituto relicta perpetuo, & indistincte confundi, communiq; calculo subijci, perinde ac si omnia ab ipso pupillo relicta fuissent.

siue substitutus sit etiam cohæres, siue non sit, & consequenter omnia predicta onera sic contributa ad solius pupillaris hæreditatis, seu portionis rationem reuocari, nec substituti onera superflua, & totius pupillaris portionis quantitatem excedentia de suo semisse præstari, atque ita fieri ut solum quadrantem pupillarem exhauriant, & portio substituti semper illibata superfit. Breuiter secundum eos pro legatis in secundis tabulis, seu pupillari testamento relictis, substituti cohæredis portio nõ astringitur. expedita sane opinio si solidis constaret fundamentis. Ego uero ꝑpetuã regulam affirmaui idẽtitatẽ ꝑsonæ grauatæ onerũ, et partiũ confusionem inducere. Excutiamus nunc, utranque opinionem, ut tandem pateat quis iustius induat arma.

ma. Pro illorum sententia adducitur ille tex.in d.§.quæsitum,ubi in substituto cohærede sit omnimoda onerum cõtributio,mutuaq; confusio, ponderando dictiones inuicem & communi calculo ibi positas. Item textus huius.§. ꝙ uulgo,ubi onera substituto ascripta ad solum quadrantem pupillarem reducuntur. Item tex.in l.in duplicibus in fi.infra eo.ubi s cundum unam scripturam,legata relicta à pupillari substituto perinde habentur,atque si ab ipso filio hærede in primis tabulis relicta fuissent. Item tex.in l.qui fundum §.q filiũ infra eo.ubi substitutus succedens pupillo ex uulgari,ad omnia legata proprio nomine tenetur, at succedens ex pupillari,ultra semissem pupilli non obligatur Item tex.in.l.i.in princ.infra sicut plusquam per legem falcidiã

falcidiam, ubi generaliter, & indistin cte dicitur legata à pupillo, & à sub stituto relicta simul esse contribuenda Item, p eis facit ratio, quoniã in secun dis tabulis de pupilli tantum hæredita te tractatur l.ii. de uulga.l. si is, qui quadringenta infra eo.cum uulga. ne mo aũt ex ullo testamento plus graua ri potest, quam in eo fuerit honoratus
Regu. ut infra hac ea.l.§.fi. debet igitur o= nus in secundis tabulis ascriptum, hono ri, seu emolumento in eisdem relicto corespondere l.sed si sic in fi.de lega. iii.l.ab eo C.de fideicommiss. cum uul ga.ultimo facit, quoniã nulla lege cau tum reperitur, portionem substituti pro oneribus pupillaris testamenti te neri, quimmo omnes leges indistincte cauent, pupilli, & substituti onera esse inuicem contribuenda, & unam tantũ
falcidiam

falcidiam de pupillari portione deducendam, ut in praealegatis iuribus: sed si onera ipsius substituti suae portioni reputarentur, utiq; pro eis non fieret omnimoda contributio, neq; de portione pupilli falcidia communi calculo deduceretur, ut hic & d. §. quaesitum cum alijs similibus, & haec sunt quae maxime urgere uidentur.

PRo oppinione nostra, quod substituti portio respectu suorum onerum confundatur, primo facit textus hic in illis uerbis (uelut lõge plus habeat quarta paternae haereditatis) ex quibus (nisi omnino ociosa esse uelimus) aperte colligitur, substitutum in secundis tabulis, usque ad quartam partem haereditatis onerari posse. Secundo textus in d. l. cohaeredi. §. cohaeres in princ. ubi sic expresse legitur.

Cohaeres

« Cohęres impuberi filio datus, ei-
« demq; substitutus legata e secundis
« tabulis relicta perinde præstabit, ac
« si pure partem, & sub cōditione par-
« tem alteram accepisset. Non idem
« seruabitur in alio substituto non co-
« hærede: nā ille falcidiæ rōnē indu-
« cet in portione scilicet puppillari.
Hæc papinianus manifestam consti-tuens differentiam inter substitutum cohæredem, ut is onera sua, & portio nes confundat, & substitutum non co-hæredem, ut is de hæreditate pupilli quadrantem deducat. Nec obstat si dicatur illum textum loqui in casu soli us substituti onerati non etiam pupilli: in qua specie contributioni locus esse non potest, nos autem de pupilli, & substituti onerum contributione con-trouerti: quoniam ad hoc respōdetur,

textum

textum præallegatum simpliciter, & indistincte procedere, præterea nullā subesse iustam differētiæ causam, qua re substituti portio pro oneribus suis minus uno casu quàm altero teneatur. Tertio facit ratio euidentissima: si enim onera in secundis tabulis relicta portionem substituti non onerant, sed intra uires, & limites portionis pupillaris coartantur, unique nec quadrans pupillaris, qui ad ipsum substitutum ex lege pertinet, afficeretur: sed intra dodrantem omnia onera uelut à pupillo (ut illi opinātur) relicta cogerentur, absurdum etenim foret, etiam pupilli onera propter omnimodam confusionem de suo quadrāte persolui, contra hunc textum, ubi papinianus aperte desinit, solus substituti onera de suo quadrante soluenda: quod nimirum

seruari

seruari non posset, si & pupilli onera omnino confunderētur, & semper cō

Regu. muni calculo subijcerētur: Nam quae semel inuicem confunduntur, amplius separari, aut discerni nō possunt. l. sed si plures. §. filio de uulga. l. adeo. §. uoluntas de acqui. re. dom. Proinde ad omnia infra de contributione loquentia respondetur, ea sic fore intelligenda ut onera substituti cum pupilli oneribus computentur, propter falcidiam, pupillaribus tamen non auctis, sed ad suum dodrātē reuocatis: ea uero, quae á substituto relicta sunt, si dodrantem excedant de quadrante debito persoluātur, si adhuc quadrans non sufficiat de reliqua portione praestentur, quatenus totius paternae haereditatis dodrās admittit, Ita ut & pupilli, et substituti oneribus simul contributis idest

computatis

computatis totius paternæ hæredita tis, quarta substituto cohæredi supersit ad textum in. §. quæsitum respõdetur, eum loqui, quando & pupilli, & substituti onera dodrantem pupillarem non excedunt: quoniam tunc omnimodo confunduntur & de portione pupillari, nimirum contributa præstantur. Vel etiam dici potest, eum textum in primo responso de substituto non cohærede intelligendum: quamuis enim iurisconsultus circa eam uulgarem regulam scilicet legatorum inter hæredes separationem faciendam de substituto cohærede quæstionem proposuerit: uolens tamen omnem articulum definire, casum substituti non cohæredis prius absoluit: Constat enim omnia pupilli, & substituti non cohæredis onera esse inuicem confundenda, omniaque Regu.

ſic contributa, & communi calculo ſubiecta ad ſolius pupillaris hæreditatis, ſeu portionis uires reuocanda, & in his terminis loquitur primum reſpõſum, ubi uero idem & ſubſtitutus, & cohæres eſt, ſi quidem in primis tabulis fuerit oneratus ſua onera pupillaribus non confundet, ſed pupillaria de ſemiſſe pupilli, ſua uero legata de ſua portione præſtabit, falcidiam quoque de ſingulis portionibus ſeparatim deducet: quoniam ut ſupra toties adnotauimus. Diuerſitas hæredum ſemper onerum, & portionum ſeparationem inducit. & hic uidetur germanus illius. §. ſenſus tam in priore, quàm ſequenti reſponſo: in quo tamen ſuum unicuique iuditium liberum eſſe uelim. Cætera in quæſtionibus plenius abſoluentur.

Regu.

Primo

PRimo Quæro, Testator duos hæredes instituit ab uno nihil legauit, alterum pœnitus onerauit, an poterit oneratus deducere falcidiam? & uidetur q non: quoniam tota hæreditas testatoris non est exhausta legatis, sed semis tantum: igitur falcidia cessat l.i.§.i. supra eo. insti. eo. §.i. contrarium uerius est: quoniam de una hæreditate inter plures hæredes distributa ut de pluribus iudicatur: ideoq; in singulis hæredibus, et portionibus ratio legis falcidiæ separatim imponēda est neque unius portio alterius partem onerat casus est in l. in singulis infra eo. & in. §. & cum quæsitum insti. eo. Idem dicendum est in duobus uulgariter substitutis: quoniam substituti, siue uulgariter, siue pupillariter subducta persona instituti ad intellectum institutionis Regu.

 tutionis

tutionis reuocantur, ut infra ea.l.§.si fi lio uersic. ut enim opus.

SEcundo Quæritur, Testator unum, & eundem in diuersis partibus hæredem instituit iuxta tex. in l. si te solum de acq. hæredi. & in l. si quis ita scripserit de hæredi. insti. & illum in una parte onerauit, in alia nihil reliquit, an de parte onerata falcidiam deducet? & uidetur quod sic: quoniam de singulis portionibus diuisis ueluti de diuersis hæreditatibus iudicatur, ut supra proxime. Contrariũ est uerius: quoniam diuersitas sola portionum non distinguit hæreditates, sed Regu. diuersitas psonarũ: & ideo paria sunt hæreditatẽ non diuidere uel diuisam uni, & eidẽ relinquere l. quidã elogio C. de iure delibe. l. ij. de acqu. hæredi & est casus infra in d. §. quæsitũ ibi, alia

alia causa est eius qui ex uariis por »
tionibus hęres scriberetur: ibi enim »
legatorũ confundi rationem nõ mi- »
nusq̃ si semel tãtum fuisset nuncupa- »
tus ex ea portione, quæ conficere- »
tur ex pluribus, neq; referre pure sę- »
pe, an sub diuersis conditionibus sit »
hæres institutus. »

Tertio Quæro, Testator titiũ instituit, & meuium uulgariter substituit, à substituto nihil reliquit, institutũ penitus onerauit, an repudiãte instituto substitutus ad onera teneatur? & uidetur, quod non quoniam nemo aliena onera de suo præstare compellitur, ut hic, & l. si separatim de condi. & demon. l. uni. §. sin autem ad defficientis. C. de cad. toll. contrariũ est uerius: quoniam substitutus uulgaris in locum defficientis omnimodo Regu.

ſurrogatur. l. ſi poſthumus in princ. uerſic. nam & cum duobus de libe. & poſthu. igitur relicta ab inſtituto regu lariter à ſubſtituto uulgari repetita cenſentur. l. licet imperator de lega. i. l. non iuſtam, C. ad trebellia. cum uul= ga. & caſus eſt in. l. prima. §. id quod ſupra eo.

Regu.

QVarto Quæro, Teſtator duos hæredes inſtituit ab uno nihil reliquit, alterum pœnitus onera= uit, repudiante onerato, eius portio al teri acresſit, an posſit cohæres de por tione onerata falcidiam deducere? & uidetur, quòd non: quoniam ius accre= ſcendi quædam tacita ſubſtitutio repu tatur. l. quia tacita de hæredi. inſti. l. ſi titio. §. Iulianus de lega. ij. igitur tota hæreditas confundi debet, ut in uulga= ri ſubſtitutione. l. qui fundum. §. qui fi= lium,

Itum.ibi nam confusi duo semisses infra eo. Contrarium est uerius: quoniam licet ius accrescendi quaedam tacita substitutio censeatur: tamen in hoc à uulgari substitutione differt, quod portionem defectam defert ad cohaeredê cum suis oneribus, & qualitatibus pristinis, perinde atque si ad eum pertineret, à quo defecta est d.§. Iulianus in fi. ibi cum suo onere de lega. ii. & casus est in. l. quod si altcrutro in fi. & in. l. si pupillus. §. fi. infra eo. porro mirabilis est casus, cui prima facie quilibet repugnasset, & in hac specie uarie inter ueteres iuris consultos controuersum est: nam Cassius confundendas esse partes existimabat, proculus contra, Iulianus proculo assensit, Paulus quoque proculi sententiam aprobauit, Sed diuus Antoninus iudicasse di

citur commiscendas esse utrasque partes in computatione legis falcidiæ. hãc controuersiam refert Paulus iurisconsultus ad uerbum in l. prima §. si cohæredis supra eodem: in quo tex. illud diligenter animaduertendum est, quód dum ibi asscritur diuum Antoninum iudicasse contrarium, suaderi potest, literam esse corruptam, & negatiuam desiderari, tum quia uerosimile nón sit, posteriores iurisconsultos contra imperatoris exemplum respondisse l. & hoc tiberius de hæredi. insti. tum etiam, quód in eo tex. laudata proculi opinione confestim subijcitur Antonini sententia per aduersatiuam copulatam, ibi sed & diuus Antoninus, cuius natura est proxime præcedentibus in iure conuenire. l. sed et milites de excusatio tuto. l. sed

Intellect⁹ ad. l. i. §. si cohære dis.

&

& alijs de curato. firio. cum uulg. & hoc etiam ex ultimis uerbis comprobari uidetur ibi, In computatione legis „ falcidiæ. quasi dictæ portiones quo ad „ falcidiam tãtum confundi non debeãt: cum alias in reliquis effectibus in eadem persona concurrentes apertissime confundantur: proinde sic passim litera castiganda est: Sed & diuus Anto. iudicasse dicitur commiscendas non esse utrasque partes &c. & ita cessabunt omnes nugæ accursianæ, qui plus satis in hac re uarie diuinando laborauit. Solidam uero differentiæ causam inter uulgarem substitutionem, & ius accrescendi in tractatu de causis deffinitionum deo bene fauente latissime cum reliquis deducemus.

Cõtra accursium.

QVinto Quæro, Testator filio impuberi titio cohæredem substituit, filium duntaxat onerauit, titius ex pupillari successit, an de portione pupilli onerata falcidiam deducere possit? & uidetur quod non: quoniã pupillaris substitutio uulgari æquiparatur d.l. qui fundum. §. quod si extranei & §. fi. cũ glo. fi. in uerbo soluerit, &
Regu. paria sunt aliquem esse in primis tabulis sub conditione institutum, uel in secundis tabulis substitutum d. §. cohæres de uulga. d.l. qui. fundum. §. fi. infra eo. sed succedens ex uulgari portiones confundit, & habita ratione totius hæreditatis legata persoluit d. §. qui filium uersic. nam confusi duo semisses infra eo. contrarium est uerius: quoniam hoc casu substitutus non ex sua, sed ex pupilli persona tenetur: igitur

de

de suo suplere non debet, sed pupilli no mine falcidiam deducet: nam (ut toties dictum est) portio unius hæredis gra= uata nunquam portionem alterius non grauatam exhaurit. Sed diuersitas hæredum diuersam, & separatã sem per rationẽ inducit: casus est in d. § qui filium uersic. si uero prius infra eo. Cæ terum ratio differentiæ inter uulga= rem, & pupillarem supra in sexta op positione deducta est. Reg.

SExto Quæro, Testator filio im puberi titium cohæredem substi= tuit, ab impubere nihil legauit, at ip= sum cohæredem in primis tabulis one= rauit, idem ex substitutione succesfit, an de portione sua onerata falcidiam deducere posfit? & uidetur, quòd sic, quoniam diuersitas portionum separa tam rationem inducit, licet in eiusdem perso=

personam ex postfacto concurrant d. l. quod si alterutro in fi. & supra quæstio. proxima Contrarium est uerius
Regu. *quoniam portio non grauata accedēs grauatæ semper cunfunditur & legatarijs prodest l. 1. §. id quod & §. si cohæredis, & l. si pupillus §. fi. d. l. qui fundū. §. qđ si extranei infra eo. l. si titio de lega. ij. Et generaliter omnia*
Regu. *onera, & emolumenta ab eodem testatore eidem personæ ascripta sunt inuicem compensanda, & conuenit toties adnotata regula, ꝙ identitas personæ*
Regu. *oneratæ onerum, & portionum confusionem inducit iuribus prædictis: quinimo fortius portio libera etiā ex tacito iuditio testatoris onerato delata,*
Regu. *legata confirmat, & falcidiam detrahi uetat l. maritum infra eo. Siue igitur ex uulgari, siue ex pupillari substitutione,*

stitutione, siue iure accrescendi portio non grauata ad oneratum perueniat, semper cum portione grauata confunditur, ut solida legata praestetur. Ratio autem differentiae, inter accessionem portionis liberae, & grauatae facile in promptu est: nam, quando portio libera accedit oneratae, nulla ibi aliena onera proponuntur, sed ipsius duntaxat, qui in tota haereditate succedit: cum igitur is respectu personae sit in solidum obligatus, nimirum de omnibus bonis suis scilicet ex eodem testamento delatis obligationem dissoluere debet: Eatenus enim quis à testatore grauari potest, quatenus ab eodem immediate, uel etiam mediate honoratur. d. l. ab eo. C. de fideico. et l. sed et si sic de lega. iij. & §. fi. infra ea l. cũ uulgari. At uero cum portio grauatae

Ratio.

Regu.

tæ liberæ portioni accedit, aliena tantum onera proponuntur, ad quæ succedens, neque proprio nomine, neque de propria portione tenetur: cum facile fuisset testatori ipsum, si uoluisset, personaliter obligare d. §. sin autem ad deficientis. C. de Cad. toll. & d. l. si separatim in fi. de condi. & demonstratio.

SEptimo Quæro, Testator filio impuberi titium cohæredem substituit, filium pœnitus onerauit à titio nihil reliquit, filio non adeunte substitutus ex uulgari succeessit, an de portione onerata falcidiam deducere possit? & uidetur, quòd possit: quoniã uulgariter substitutus censetur in locum instituti deficientis surrogatus d. l. si posthumus in princ. de libe. & posthu. filius autem si adijsset, falcidiam dedu

xisset

xißet.l.in singulis infra eo.igitur & ipse substitutus eodẽ iure uti debet per regulam surrogationis l. si quis cum §.qui iniuriarum si quis cautio.§.fuerat insti.de actio.l.inuitus.§.cum quis & l.qui in ius alterius de regul. iuris contrarium est uerius: quoniam substitutus uulgaris surrogatur in locum defficientis iure proprio,& non alieno,et uirtute tacitæ repetionis ad onera ex propria persona tenetur l.licet imperator de leg.i.& sic tota hæreditas paterna confunditur,& solida legata præstantur casus est in d.§. quæsitum in fi.& in d.l.qui fundum.§.qui filium in fi.infra eo. Secus esset ,si ex pupillari uel iure accressendi succederet,ut supra qa stio.quinta.

OCtauo Quæro,Testator filio impuberi insolidum instituto, duos

duos pupillariter substituit, alterum onerauit, ab altero nihil reliquit, an liceat onerato de sua portione falcidiā deducere? Videtur ꝙ nō: quoniā tota hæreditas pupilli exhausta nō est. Cōtrariū est uerius: quoniam plures pupillo substituti, pluribus institutis æquiparantur: nam subducta persona pupilli, ad intellectum institutionis reuocantur: ideoq; in singulis ratio falcidiæ separatim imponenda est, d.l. in singulis & est casus in. §. si filio in primo respō. infra ea. l. & in l. si is qui quadringenta infra eo. Breuiter diuersitas psonarum succedentium semper diuersitatem, & separationem iuris inducit iuribus præalegatis.

Regu.

NOno Quæro, Testator duos filios impuberes instituit, et inuicem substituit, alterum duntaxat instituendo

stituendo onerauit, oneratus fratri suo ex pupillari successit, an q portiōe sua onerata falcidiā deducere possit? uidetur qđ sic: quoniā hæreditas pupillaris nō grauata, paternæ hæreditatis onera suplere non debet: quêadmodū nec paterna, pupilli oneribus obligatur d. l. qui fundum. §. qui filium in secundo respon. Contrariū est uerius: quoniam & si nemo aliena onera de suo supplere teneatur, onera tamê propria ex omni emolumento accedente supplêtur: casus est in d. l. qui fundum. §. quod si extranei in fi. uersic. pene eadem dicenda sunt. *Nam (ut sæpe dictum est) identitas personæ grauatæ, onerum, & partium confusionem inducit, & in secundis tabulis substitutus censetur in primis sub cōditiōe institutus d. § cohæres de uulga. & d. § si filio* Regu. Regu. Regu.

infra ea.l.& in fi.huius.§.

DEcimo Quæro, Testator titium filio impuberi cohæredem, & substitutum in secundis tabulis onerauit, an falcidiam de pupillari portione deducet? uidetur quod sic: quoniam ex nullo testamento ultra uires hæreditatis in eo. relictæ præstandũ est, ut in hoc textu Contrarium est uerius: quoniam hoc casu agitur de proprijs oneribus, & identitas personæ oneratæ partium cõfusionem inducit, ut toties dictum est, & hoc est potissimum in tota materia fundamentũ, ut hic & d.§.quæsituu & d.§. cohæres.

VNdecimo Quæro, Testator filio impuberi titium cohæredẽ substituit, filium in primis, & substitutum in secundis tabulis onerauit, an substitutus, de portione pupilli duplicẽ

falcidiam

falcidiam deducet? Videtur, quod sic quoniam ex omni testamento una falcidia separatim deducitur l.i.§.i. supra eo. igitur substitutus unam ex paterno pupilli nomine, alteram ex pupillari proprio nomine de eadem portione deducet. Contrarium est uerius: quoniam hoc casu una tantum falcidia de pupilli hæreditate pupilli nomine deducetur, legata uero à substituto relicta de pupillari quadrante soluentur, residua uero de sua portione suplebuntur, & si propria etiã portio non sufficiat, falcidia quoque ex eadem proprio nomine deducetur: et hic est casus huius.§. secundum intellectũ meum, licet de hoc fuerit uarie controuersum, ut supra in ultima oppo. ex his deciditur etiam sequens casus omnium dificilimus.

Casus.§. quod uulgo.

DVodecimo igitur, Quæro Testator impuberi titium cohæredem substituit, utrumque in primis tabulis onerauit, sed & in secundis tabulis à substituto legata reliquit, quomodo falcidia de tot oneribus deducitur? Respondeo, legata ab impubere relicta usque ad suum dodrantem uelut æs alienũ persoluentur, ut in princ. huius. §. Si excedãt, falcidia eius nomine deducetur, Reliqua legata à cohærede eodemque substituto relicta, simul contribuentur, & tam de quadrante pupillari, quàm etiam de portione propria præstabuntur, ita tamen, ut quadrans totius paternæ hæreditatis omnibus oneribus tam pupilli, quàm suis inuicem contributis integer eidem substituto supersit: casus est hic, & in d. l. qui fundum. §. final. in princ. infra eo.

& si dicatur, qualiter ergo procedūt iura omnia de contributione onerum pupilli, & substituti loquentia? Respondeo distinguēdo. Aut enim substitutus impuberi cohæres datus nō est, & tūc legata à pupillo, & à substituto relicta inuicem contribuuntur, & usque ad dodrantem pupillaris hæreditatis, seu portionis pro rata desalcantur, & hic est casus in d.§. quæsitum in primo responso secundum nostram interpretationem. Distinctio notabilis.

Aut substitutus etiam in primis tabulis nuncupatus est, et tunc si idem ut cohæres tantum oneratus fuit, sua onera cum pupillaribus non confundētur, sed in utraque separatam falcidiæ rationem imponet: casus est in d.§. quæsitum in secundo responso secundum cōmunem interpretationem, & in d.l. Regu.

qui fundum.§.fi.in princip. declarando tamen hunc casum ut supra in sexta quæstione. Si uero idem cohæres in secundis tabulis oneratus sit, & iam pupilli semis exhaustus in primis, sua & pupilli onera simul contribuentur, & ita ratio falcidiæ ponetur, ut omnium bonorum testatoris quadrans apud substitutum remaneat, ut inquit tex.in d.l.qui fundum.§.fi. Si uero ab impubere legauit testator sed non ultra dodrantem, similiter & a substituto cohærede plane casus indifficilis est: Nam secundum quosdam onera contribuuntur, & de portione pupilli pro rata defalcantur nec ultra pupillarem dodrantem præstantur. Ego autem diuersam opinionem secutus sum, nimirum nullam hoc casu fieri contributionem respectu pupillaris

hæredi=

hæreditatis sed legata à pupillo legitime data uelut æs alienum prius esse præstanda: Cætera uero à substituto relicta etiam de portione sua, si pupilli quadrans non sufficiat persoluenda, ut supra toties dictum est, dummodo tam suis, quàm pupilli oneribus persolutis quarta totius paternæ hæreditatis integra, atque illibata superstit, et hoc modo accipitur uniuersalis contributio, idest computatio ad quãtitatem totius paternæ hæreditatis reuocanda l. qui fundum. §. fi. in princ. in eo. & hæc uidetur mihi solida in tota hac materia resolutio, ex qua facile colligi potest, quando & qualiter inter pupilli & substituti onera facienda sit contributio.

DEcimotertio Quæro, Testator filio impeberi in solidum in

uidetur, quod non: quoniã tota hæreditas patris ad ipsum peruenit qua inspecta, falcidiæ locus non est l. qui fundum §. quod si extranei, ibi, Quia semper substitutus rõne legis falcidiæ ex quantitate bonorũ quod pater reliquerit deducet. Contrarium est uerius, quoniã onera aliena de portione onerata semper præstanda sunt, nec alienam partem afficiunt licet in unam personam ambæ perueniant d. l. quod si alterutro in fi. supra eo. nec obstat tex. in l. pater filiam. §. duobus infra eo. quoniam ibi substitutus ex propria persona tenetur, ut infra quæstione proxima plenius attingetur. Regu

DEcimoquinto Quæro, Testator duobus impuberibus institutis tutiũ substituit, eundẽ in portione unius onerauit, substitutus utrique successit,

cessit, an de portione onerata falcidiam deducere possit? uidetur, quod sic quoniam in singulis portionibus ueluti in singulis hæreditatibus ratio falcidiæ separatim ponenda est l. in singulis, & supra quæstio. proxima dictum est. Contrarium est uerius: quoniam hoc casu substitutus ex propria persona tenetur unde succedit regula toties inculcata. Identitas personæ grauatæ partium confusionem inducit, & hic est uerus casus d. §. duobus in primo responso, præsupponendo, quod singulis fuerit facta substitutio separatim, nõ autem coniunctim & in portione unius substitutus oneratus, licet glo. prima in uerbo duobus, legata ab institutis relicta præsupponat, contra omnem iuris rationẽ: Nã si substitutus pupillo onerato cohæres datus

Regu. Intellectus ad §. duobus.

Contra glo.

datus sit, constat eum de portione pupilli grauata falcidiam deducere posse, tametsi portionem suam integram habeat. casus est in d. §. quaesitum ibi, ideoq; quartam &c. & generaliter portio onerata accedens, non grauatae legatarijs non prodest, ut supra saepe dictum est, praesertim in quinta quaestione: ex quibus, satis unicuiq; liquere potest quam perfunctoriae interpretes, atque doctores hanc materiam ruminarint. Regu.

DEcimosexto Quaero Testator duos impuberes instituit, et ultimo tantum morienti titium substituit, eundemq; in secundis tabulis onerauit, portio primi defuncti ad ultimũ fratrem legitimo iure peruenit ut in l. pen. C. de impube. Deinde substitutus ultimo ex substitutione successit, an de por-

portione ultimi onerata falcidiam deducere possit? uidetur, quod non: quoniam substitutus proprio nomine obligatus est: igitur propter accessionem alterius portionis ad solida legata tenetur, et militat regula: identitas personæ oneratæ &c. Contrarium in hac specie definitur: quoniam portio primi instituti ex iuditio testatoris ad substitutum non peruenit, sed per quandam consequentiam: igitur in ea grauari non potuit l. i. §. sciendum & §. fi. fi. & l. sed & si sic in fi. de lega. iij. igitur substitutus non habita ratione dictæ portionis citra substitutionem, & iuditium testatoris obuentæ, falcidiam de portione onerata deducit, & hic est casus d. §. duobus in fi. & in d. l. qui fundum. § qui filios in fi. ibi, quid ergo si exhæredatus &c. unde colligitur

singulæ

ſingularis limitatio ad eam regulam, quã toties adnotauimus, ſcilicet, identitatem in perſonæ honoratæ partium confuſionem inducere, ut uendicet ſibi locum in partibus ex teſtatoris iuditio ſiue tacito, ſiue expreſſo delatis l. maritum infra eo. ſecus in partibus ipſi onerato aliunde prouentis iuribus prædictis. Limitatio ſingularis.

DEcimoſeptimo Quæro. Teſtator duos impuberes habens, alterum inſtituit, alterum exhæredauit, exhæredatum inſtituto ſubſtituit, & poſtea exhæredato tutium, quem legatis pœnitus onerauit exhæredatus fratri ſucceſſit, & impubes deceſſit, an meuius legata ſibi iniuncta ſoluere teneatur? uidetur, quôd non quoniam ſubſtitutus exhæredato legatis grauari non poteſt. Eſt enim rõni congruens

ne plus iuris circa personã substitu-
Nota. ti testator habeat, q̃ habuerat in eo,
" cui illum substituebat. l. *qui fundũ*. §.
" *qui filios in fi. infra eo.* Contrariũ *est uerius: quoniã facultates paternæ ex iuditio patris ad ipsum titiũ puenerunt: igitur eatenus grauari potuit, quatenus bõa, quæ pater mortis tpe reliquit deducta falcidia patiũtur: casus est in d. §. q. filios ĩ princ. et ĩ §. fi. infra ea. l.*

O Ecimo octauo Quæro, Testator à filio insolidum substituto legata reliquit, similiter et à substituto ultra uires patrimonij an substitutus pupilli onera prius soluere teneatur, an magis sua? uidetur, quòd sua prius præstare debeat: tum quia ultima derrogant prioribus l. clari C. de fideicommiss. tum quia data à substituto secundum aliquos ab ipso impubere

relu-

relicta censentur l. in duplicibus in fi. secundum unam lecturam infra eo. & uidetur casus infra ea. l. §. si filio uersic. quid tamen dicemus.

RESpondeo in hac specie, omniũ legatorum tã à pupillo, quàm substituto relictorum contributionem esse faciendam, & falcidiam à singulis legatarijs pro rata deducendam: quoniam legatarij in primus, & secundis tabulis nuncupati re coniuncti dicuntur, & simul concurrunt: casus est in d. §. cohæres de uulga. & in l. plane §. si coniunctim in fi. de lega. i. & in d. §. quæsitum in. i. respon. infra eo. neque subita testãtis correctio in dubio præsumenda est l. non ad ea de condi. & demon. & dixi supra. q. xiij.

OEcimonono Quæro, & est perutilis dubitatio, Testator

habens

habens centum in bonis piæ causæ sexa gintalegauit, totidemq; alijs legatarijs nullo singulari iure suffultis, & sic ultra totius patrimonij quantitatem qualiter falcidia deducetur? Respondeo, in primis, omnia legata indistincte ad patrimonij quantitatem redigenda sunt: & hæc est prima detractio, quæ etiam in legatis priuilegio fultis pro rata seruatur l. si uero composita uersic. & quoniam de mili testa. & l. in quantitate. §. fi. infra eo.

« Plane ante omnia (ut ibi dicitur)
« detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est: deinde, quod
« ex bonis apud hæredem remanere
« oportet. *Igitur purgato patrimonio. Secunda detractio in legatis tantum non priuilegiatis ex l. falcidia fiet, quartaq; de singulis deducetur. Vnde*

in proposita specie decē de legato piæ causæ, totidemq́ue de cæteris deducentur, rursus de quinquaginta uulgaribus quadrans detrahetur, atque ita ex centum in patrimonio relictis hæres duodecim cum dimidio retinebit: casus est in d.l. si uero composita. & in l. si post missionem & l. si miles infra eo. Et quoniam in omnibus casibus, in quibus falcidia cessat huiusmodi computatio facienda est, placuit ipsos casus elegantibus numeris comprehensos memoriæ gratia inserere, de quibus per glo. & doc. in l. in testamento, & in auc. similiter C. eo.

Falcidiam cessare facit pars debita natis.
Dos, miles, uetitum, libertas, sponte solutum.
Res uetite uendi, pietas, & chartula,

la, Crimen.

Et neglecta palam descriptio iusta bonorum.

VIgesimo Quæro, Testator simpliciter filio impuberi substituit habenti bona aduentitia, ut hodie contingere potest l. cum oportet C. de bo. que libe. et á substituto amplissima legata reliquit paternæ hæreditatis uires excedentia, an poterit substitutus de hæreditate paterna falcidiam deducere, & pupilli bona integra retinere? Immola ait: se de hoc articulo dubitare licet Bartol. & angel. secundum eum, astruant talia bona debere confundi, & consequenter de solis bonis paternis falcidiam non deduci, quasi pater in bonis pupilli aduenticijs substitutum grauare potuerit per tex. singu. in d. l. si filius qui patri de uulga.

Tan=

Tandem ipse sic distinguit, aut filius têpore mortis paternæ bōa nō habet, & tunc licet in futuris bonis pater ei substituere possit l. sed si plures. §. ad substitutos de uulga. tamen eius substitutum in eis grauare non potest l. cohæredi. §. cum filiæ de uulg. nisi in casu singulari d. l. si filius qui patri, quādo scilicet substitutus paternam hæreditatem non adiuit: & sic facto suo illam amisit: nam tunc uoluit lex subuenire legatis à substituto relictis, ut ea de pupillari hæreditate agnita persoluantur. Aut pupillus tempore mortis paternæ bona aduenticia habebat, & tunc potest pater in illis substitutum grauare si uelit per tex. in l. si titio. §. fi. cum l. seq. de lega. i. in dubio autem non in pupillaribus grauasse, sed ad propria tantum bona respexisse ui Distinctio Immole.

detur.arg.tex.in l.in duplicibus indi- stincte intelligendo, infra eo. hæc Immola. Dij boni quantæ in tantis patribus tenebræ. Ego ſane apertis legibus didici patrē neq; in præſentibus, neq; ī futuris pupilli bonis aliunde profectis ullum grauamen imponere poſſe, licet etiam ad futura pupilli bona ſubſtitutio neceſſario porrigatur, ne pupillus partim inteſtatus decedat, niſi forte à milite limitata ſubſtitutio fiat, ut eſt caſus in d.§.ad ſubſtitutos, & late dixi ſupra in octa.oppo. Nā pater in bonis ipſius filij aliunde profectis filium grauare non poteſt d.§.cum filiæ, etiā ſi pater eēt miles l.miles ita.§.ſi miles de mili.teſta. Quia ferendum non eſt,

" vt cui nihil dederis, eum rogando

" obliges. *l.ſed & ſi ſic in fi. de leg iij. l. plane ſi filium. §.fi.de lega.ij. &*

Contra Bart. Angel. & Immol.

Nemi-

Neminem plus legati, nomine præ- " stare oportet, q̃ ad eum ex testatoris " hæreditate peruenit. *l.i. §. si is qui* " *quadringenta in fi. ad trebellia.* & *hæc etiã iure codicis indistincte procedunt l.pen. C. de lega. Igitur si filius ipse grauari non potest, neque etiam substitutus d. §. qui filios in fi. infra eo. ibi est.* Enim rõni congruens ne plus " iuris circa personam substituti testa " tor habeat, q̃ habuerit in eo, cui il- " lum substituebat. *Non obstat tex. in* " *d.l. si titio. §. fi. de lega. i. quoniam loquitur de legitima hæreditate filij à patre tamen profecta. nec aliter intelligi potest, ut patet ex rationibus supradictis,* & *colligitur ex tex. paulo postsequente in l. plane in princ. eo. ti. Nec etiam obstat tex. in d.l. si filius qui patri: quoniam* & *ibi necessario*

Intellectus l. si titio. § fi.

Intellectus ad l. si fillus qui patri.

præsupponendum est, ambos testatoris filios fuisse institutos, & hæreditatem pupillarem appellari eam portionem paternæ substantiæ, quæ ad impuberem filium peruenit, in qua nimirum frater eidem substitutus fuit proinde legata in secundis tabulis relicta de sola portione, seu hæreditate pupillari præstanda fuerunt cum ad totius paternæ hæreditatis quantitatē relatio fieri non posset attenta substituti repudiatione, & separatione, bo norum, seu portionum: & hic est uerus intellectus ad eam l. ut etiam supra in quarta oppositione docuimus.

Cōtra do. *Nec placet asserta singularitas per doc. allegata, quod scilicet onera à substituto in primis tabulis relicta pro pter repudiationem paternæ hæreditatis, ad pupillarem hæreditatē aliū-*

de

de profectam transferantur: tũ quia istud paradoxum nullo iure probatur nullaq́; ratione fulcitur: Tum quia generaliter, & indistincte nõ potest substitutus in bonis pupilli aliunde profectis onerari, quamuis paternam hæreditatem omittat. l. quæsitum & l. filius & l. si pupillus paterna de acqui hæredi. nec unquã plus iuris habere potest testator in personam substituti, quàm in personam impuberis habuisset d. §. qui filios in fi. infra eo.

VIgesimoprimo & ultimo dubitatur, An augumentum, uel diminutio mortuo testatore contingẽs in bonis onerati, prosit, uel noceat legatariis. Breuiter omnis materia his pauculis axiomatis perstringi potest.

PRima conclusio est, q; in Imponenda falcidia ea sola substan-

tia spectatur, quam testator tempore mortis reliquit l. in duplicibus in princ. & l. in quantitate in princ. & l. qui fundum. § quod si extranei infra eo.

SEcunda cõclusio est, quòd Augumentum, uel diminutio mortuo testatore contingens, regulariter non attenditur d. l. in duplicibus & l. in ratione la. ij. infra eo.

TErtia conclusio est, quòd Augumentum uel diminutio sumẽs originem in uita deffuncti in ratione falcidiæ computatur. l. in l. falcidia placuit & l. pater filiam, & infra ea. l. §. Imperator & §. cum quidam, ratio patet: Nam à primordio tituli omnis posterior formatur euentus. l. uni. C. de Imp. lucra. descrip.

QVarta conclusio, Augumentum ex re legata intrinsecus

pro=

prouenίens auget bona, & in falcidiæ rationem deducitur l. quod de bonis. §. fructus infra eo. fallit in partu hominis: quoniam partus nundum æditus homo dici non potest, sed adhuc portio uiscerum matris est d. l. in lege falcidia placuit infra eo. Cæterum pro nato habetur, quatenus de eius commodo, & fauore tractatur l. qui in utero de sta. homi.

QVinta conclusio. Augumentum etiam extrinsecus proueniens circa nomina debitorum auget bona, & prodest legatarijs l. quare batur infra eo. ratio patet, propter ius obligationis, quod etiam tempore mortis testatoris suberat, ut in prin. huius l. & l. serui qui apud hostes infra eo.

SExta conclusio, Diminutio propter culpam defuncti ex legis dispositione contingens, nocet legatarijs l. fi. §. i. de lega. iij. l. & si contra de uulga. hodie dicendum est, ut in auc. ex causa C. de lib. praeterit.

SEptima conclusio Diminutio in specie legata contingens citra culpam haeredis legatario praeiudicat quoniam debitor speciei perēpta per casum specie liberatur d. l. in ratione §. diligenter infra eo. l. quod te mihi si cert. peta. quinimo etiam debitor quātitatis propter speciem: perempta specie liberatur l. quidam testamento. §. si tibi seruus de lega. i. l. in naue in fi. ff. loca. quamuis regulariter Debitor generis, uel quantitatis casu fortuito non liberetur l. incendium C. si cert. peta.

Vltima

VLtima conclusio, Omne commodum, & incommodum circa res hæreditarias sine legatariorũ culpa contingens regulariter pertinet ad hæredem d.l. in ratione la.ij. in princ. infra eo.

HAEC sunt Amplissimi patres, quæ in hac perdifficili, & recondita contributionum, falcidiæq; materia pro meo tenui ingenio publicæ utilitatis gratia libenter emisi: in qua re quantum ad ueritatem proximius accesserim quilibet uel mediocriter eruditus (modo ingenuus eẽ uelit) facile iudicabit. Laus autẽ, & gloria deo nostro Christo Redemptori, a quo bonorum omnium uberrimo fonte donum omne, & præsertim ueritatis agnoscimus. si quid autem in his commentarijs nostris, sæpius (quam par

esse

esse uidetur, repetitum inueniatur id non errori, aut obliuioni ascribi uelim, sed magis spōte factum intelligi, ne hæc tam abstrusa, & intricata materia, in qua nulli uel pauci ad modum enatarunt, & quam per nouas regulas, ac Theoricas tradere oportuit, ulla ex parte in explicata maneret.

ΤΕ'ΛΟΣ.

Patauij Iacobus Fabrianus excudebat.

M D X L I X.